62498/B

Ff e 32

Ia 27

D
6.5.

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

GOELICKE, A.O.

8-28

58

ANDREAE OTTOMARI GOELICKE
Medici ac Profeſſoris Regii in Academia
Viadrina

MEDICINA FORENSIS

Demonſtrativa Methodo
tradita
Cui praemiſſa eſt

INTRODUCTIO
in
HISTORIAM LITERARIAM

SCRIPTORUM
qui
Medicinam Forenſem
COMMENTARIIS SUIS
illuſtrarunt.

MEDICAL SOCIETY OF LONDON

FRANCOFURTI AD VIADRUM
Apud JOHANNEM GODOFREDUM CONRADI.
1723.

NOBILISSIMIS PRAESTANTISSIMISQUE PHILIATRIS

Auditoribus ſuis Per-Dilectis

in

ACADEMIA REGIA VIADRINA

Studiorum cauſſa commorantibus

S. P. D.

AUCTOR.

D*iu multumque diebus hiſce deliberanti Mihi, cui potiſſimum TENTAMINA HAECCE MEDICO-LEGALIA Sacra facerem, opportune tandem incidit, nemini juſtius, quam Vobis, PHILIATRI PER-DILECTI, illa deberi; Vos enim non ſolummodo* Lectionibus Publicis, *quibus præcipuas* Quæſtiones Medico-Forenſes *ante Triennium explicui, ſeduli interfuiſtis, ſed &, ut exactius digeſtas in chartam conjicerem, atque ex*

Cathedra Medica, publice ventilandas proponerem, Auctores ſuaſoresque fuiſtis. Cumque, deſiderio tam ardenti repugnare, religioni merito mihi ducerem, manum admovi operi, unde prima *haec* Speciminum medico - forenſium Decas *enata fuit, quam* duas *in* Sectiones *partiri placuit, ita quidem, ut* prior Specimina Hallenſia, poſterior *vero* Francofurtana *complecteretur. Neque eſt, quod dubitetis,* Collegium *hoc* Diſputatorium *gnaviter me eſſe continuaturum, atque ſi DEUS T. O. M. vitam, vires ſanitatemque porro largitus mihi fuerit,* alteram Decadem *ſuo tempore additurum. Vnum, de quo, tanquam omiſſo, conqueri jure potuiſſetis, erat defectus* hiſtoriæ litterariae, *qua ſcriptores, qui* Medicinam forenſem *Operibus ſuis illuſtrarunt, recenſerentur: Quare huic etiam defectui pro virili mederi ſtudui, eumque in finem brevem atque ſuccinctam* introductionem *in* Hiſtoriam Litterariam Auctorum, *qui hanc artis noſtrae partem, quam cum JCtis communem habemus, commentariis ſuis exornarunt, praemiſi. Vos interea, PHILIATRI PER - DILECTI, hiſce noſtris laboribus ita fruimini, ut, qui hucusque noſtro ſub moderamine ſtudia Veſtra gnaviter proſecuti eſtis, ea porro maturare, tandemque, in DEI gloriam proximique emolumentum, ad felicem finem perducere queatis. P. P. Francof. cis Viadrum die* 2. *Mart.* 1723.

ORATIO
PRAELIMINARIS
DE
SORORIO VINCULO
QVOD EST
inter
JURISPRUDENTIAM
ET
MEDICINAM
dicta in
Auditorio Medicorum
nuper demum reparato
Cum
LECTIONES PUBLICAS
MEDICO-FORENSES
auſpicaretur

AUCTOR.

Adfulſit tandem, Auditores ac Philiatri perdilecti, adfulſit, inquam, læta illa & ſinceris votis dudum expectata dies, qua *Apollo*, non quidem *Delphicus* ille, cujus vaticinia jamdudum defecerunt, ſed ſummus artis Medicae Praeſes, quin primus inventor, ex publico hoc Loco, quod a multis retro annis factum non fuerat, ſua denuo Oracula edere coepit. Jam dudum luget *Plutarchus*, oracula, quae reſponſa olim interrogantibus dederant, nunc deſiiſſe, &, ut *Symmachus* eleganter loquitur, nullas amplius in *antro Cumano* litteras legi, nec *Dodonam* loqui frondibus, nec de ſpiraculis *Delphicis* ullum audiri carmen; Sed, quæ a *Plutarcho* allegatur, ratio, uti mere naturalis, ita frivola & Philoſopho gentili, altiori quippe lumine non colluſtrato, haud eſt indigna. Eſto enim, quod tamen probatu difficil-

ficillimum foret, eſto, inquam, terras, quas olim Vates inhabitaſſe dicuntur, virtute quadam naturali, halitibus nempe quibusdam impraegnatas fuiſſe, quibus Vatum Mentes ita commovere potuerint, ut non modo res futuras praeviderint, ſed & numero verſuque pronunciaverint: Obſcurum tamen & perplexum manet, qua de cauſſa iſta terrarum vis fatidica temporis vetuſtate ita exoleverit, ut Vatum mentes concitare amplius non valuerit. Idem praeter Scriptores profanos fatentur Sancti quoque Patres, *Nazianzenus*, *Cyrillus*, *Clemens Alexandrinus* aliique; Nullas amplius ex *Tripode* audiri Divinationes, nihil nugari *Dodonaeum tintinnabulum*; Sed tacuiſſe *Jovem Dodonaeum*, obmutuiſſe *Apollinem Colophonium*, *Delium*, *Pythium*, *Clarium*, *Didymaeum*, & in *Trophonii antro* altum fuiſſe ſilentium. Aſt longe digniorem ejus rei rationem adferunt: Coeleſte nempe lumen coëgiſſe *Apollinem*, reliquosque Vates, ut damnatas tandem ſedes relinquerent. Si quis vero me interrogaret, quare a centum, &, quod excurrit, retro annis nulla *Apollinis Medici* vox in hoc Templo exaudita, nulla oracula edita fuerint, eheu! Quam captioſa illa foret quaeſtio! Quantis tricis implicita? An forte ideo, quod

ars

ars muta vocetur Medicina? An, qûod ſponte conticuerint Profeſſores artis? Abſit, abſit, inquam. Nego ac pernego, *Apollinem* in hac Muſarum ſede unquam obmutuiſſe. Delenda foret omnis rerum praeteritarum memoria, ſi præfracte negare auderem, vixiſſe toto illo tempore haud paucos excellentes, ſuarumque rerum eximie ſatagentes, Artis Medicae Doctores, qui *Philiatris* ſua expoſuere oracula. Atque, ut ex multis paucos tantum enumerem, praeter *Chriſtianum Schirachium*, *Chriſtianum Engelinum*, *Jodocum VVillichium*, *Jacobum Jociscum*, *Johannem Cnoblochium*, *Sebaſtianum Mollerum*, *Georgium Seilerum*, *Matthaeum Zeiſium*, *Laurentium Helandum*, *Chriſtophorum Stymmelium*, qui omnes *Seculo decimo quinto* artem Medicam in *Alma* hac *Viadrina* condecorarunt; in Medium praecipue producimus *Henningum Arniſaeum*, *Chriſtophorum VVeidnerum*, *Johannem Pelargum*, *Samuelem Scharlachium*, *Melchiorem Poliſium*, *Chriſtophorum Urſinum*, *Conradum VVeſenfelſium* & *Thomam Andreae*, qui omnes ſeculo proxime elapſo, & noſtro adhuc tempore *Bernhardus Albinus*, *Irenaeus Vehrius* & *Conradus Johrenius* Sacra *Machäoniae artis* ingenti non minus facundia,

quam

quam vario eruditionis adparatu oracula Medica cultoribus artis Noſtrae explicuerunt. Quanquam autem toto iſto tempore pulpita publica non conſcenderint, ſed privatos intra parietes Juventutem Medicam erudiverint Viri laudatiſſimi : Cogitandum tamen non eſt, commoditati tantum utilitatique vitae privatae invigilaſſe, ſed loci publici defectum Ipſos potius coëgiſſe, ut in privatiora Muſea concederent. Adflicto tali in ſtatu res noſtrae erant, cum ante biennium, & quod excurrit, in *Univerſitatem* hanc *Viadrinam* evocarer. Ego ſane, qui duabus jam aliis in Academiis artem ſoteriam publice profeſſus fueram, & Lectiones meas publico in Loco declamare conſueveram, aegerrimo non niſi ac propemodum indignabundo animo tuli iſtam deſolatam ſacrae hujus aedis faciem; Durum ac taedioſum mihi fuit, videre parietes Eius pulvere & ſqualore ubique conſperſos, ſubſellia Auditorum ſubverſa, cathedram deſtructam, &, quod ſine dolore vix animo repetere poſſum, quisquiliis & utenſilibus undique refertum, uſibusque & commodis tantum privatis deſtinatum. Proinde juſto zelo incenſus & auctoritate Superiorum ſuffultus, uſurpatores expuli, quisquilias

 ejeci

ejeci, &, ut nova hac forma inſtrueretur, auctor ſuaſorque fui. Ex tali autem proſpero rerum ſucceſſu intimo laetitiae ſenſu me eſſe perfuſum, quis jure probro mihi dabit? Neque dubito, quin pari mecum adfectu Vos, *Philiatri Suaviſſimi*, feſtum hunc diem ſitis concelebraturi, ideo maxime, quod ex ſacro hoc loco *Apollinis Medici* vaticinia, interpretibus nobis, denuo ſitis percepturi. Non habitat *Apollo Noſter*, ſicuti oraculum *Delphicum*, in loco rupibus munito & quaſi inacceſſo; Templum ejus non reperitur in loco praecipiti, aditu anguſto atque difficili, ut objecta lapidum mole acceſſum omnem praecludat: Sed janua templi hujus nemini non erit aperta, aditus nulli erit praecluſus, nullum hic praecipitium, nulla ſaxorum moles, quae acceſſum conſulturis intercipiat. Neque eſt, quod metuatis, halitus acres & impetuoſos, terribili ſono hiatu, cui *foemina Pythia* inſidebat, excuſſos, quorum afflatus expectans Vates corripiebatur, agitataque & concuſſa in furorem ſtatis diebus vertebatur, quibus fari licebat: Noſtrae potius voces erunt dulces & ſalibus, ut ſperamus, conditae, neque unquam ingrato ſtridore aures Veſtras percellent. Nec denique *Apollinis Noſtri* oracula metris, ambi-

gue,

gue, captioſe, dubie vel aequivoce prodemus, quod feciſſe tamen *Apollinem Pythium* accepimus, ſed, quoad poterimus, clare atque diſtincte, ut ab omnibus promiſcue intelligamur. Rem vero tam utilem tamque neceſſariam *futuro die Jovis* alacri animo adgreſſuri, & praecipuas quaeſtiones medico-legales Vobis explicaturi, aequum eſſe duximus, Oratione praeliminari *de arctiſſimo nexu & ſororio quaſi vinculo, quod eſt inter Jurisprudentiam & Medicinam*, animos veſtros praeparare, id ſolummodo a vobis enixe petentes, ut me per ſemihorulam de argumento tam utili, tam jucundo tamque neceſſario diſſerentem patienter audire haud dedignemini.

Qui rerum tantum cortices, non intimas earundem eſſentias, examinare conſueverunt, illi cogitabunt, me coelum terrae, oleum aquae, verbo, res diverſisſimas ſibi mutuo commixturum, dum non qualemcunque nexum, ſed ſororium plane vinculum inter *Jurisprudentiam* & *Medicinam* demonſtrare adgredior. Quid enim, clamabunt, commercii eſt Medico cum Jurisperito, cum ille in morbis & cognoſcendis & curandis, hic vero in jure dicendo, verſetur? Verum, qui ita ratiocinantur, cortices tantum delibarunt, nucleum rerum deguſtarunt nunquam. Jurisprudentia re-

ƈte dicitur ſcientia juſti & injuſti; Ac proinde id, quod juſtum eſt ſive aequale, adminiſtrandum, injuſtum vero & inaequale corrigendum eſt, ut hoc modo, qui juſtitiae finis eſt, ſuum cuique tribuatur, nec plus, nec minus, ut utraque bilancis lanx juſtisſimo in aequilibrio ſervetur: Ab hac Jurisprudentiae & Juris adumbratione generali non multum aliena eſt ipſius Medicinae generalis indoles. *Auctor libelli de flatibus*, vulgo *Hippocrati* adſcripti, eandem definit per additionem & ſubtractionem; additionem nempe eorum, quae deficiunt, & ſubtractionem eorum, quae in corpore hominis abundant. Duae enim ſunt principes artis Medicae partes, quarum altera ſanitatem corporis praeſentem tuetur & conſervat, altera vero amiſſam reſtaurare & morbos profligare docet. Quomodo vero praeſentem proſperam corporis humani valetudinem aliter melius ſervabimus, quam adjectione ciborum ac potuum convenientium & ſupervacuorum ſubtractione. Iterumque, qua alias ratione adverſam profligabimus & amiſſam reſtituemus ſanitatem, niſi ſubtractione alimentorum, ſi ex redundantia natus fuerit morbus, & adjectione eorum, ſi ex eorundem defectu fuerit contractus: Et quid

multis?

multis? Servanda hic eſt quaedam quaſi juſtitia, exactum quoddam aequilibrium inter adjectionem & detractionem omnium earum rerum, quae vel ad ſanitatem hominis tuendam, vel morbum imminentem praeoccupandum, vel praeſentem profligandum, quovis modo conducunt.

Si cui haec longius petita eſſe videantur, en Vobis aliam hujuſce rei demonſtrationem! JCti recte ſalutantur Sacerdotes Juſtitiae, ſanctiſſimae, puriſſimae & caſtiſſimae Virginis, quae ſuam pudicitiam, ſi credere fas eſt, contra omnes, qui eandem vitiare, & vel vi, vel clandeſtinis artificiis, violare cupiverunt, in hunc usque diem heroice defendit: Medici pariter vocantur Sacerdotes Salutis, Salutis, inquam, Publicae, quae eſt artis Noſtrae DEA, cui altaria erexere, cui ſacrificia ſua conſtanti devotione obtulerunt artifices.

Uti vero nihil tam ſanctum, nihil tam religioſum eſt, quod ſua malitia non profanaverint homines: Ita in propatulo eſt, millies a crumenimulgis cauſarum Patronis proſtitutam & vi quaſi ſtupratam eſſe ſanctiſſimam virginem, vel, ſi mitius loqui velimus, aſtutia, blanditiis & illecebris perſuaſam, ut pudorem, tanquam ſudorem noxium, fronte extergeret, &, proſtibulorum publicorum more, muliebria ſua amatoribus exponeret.

ret. Quis vero ignorat, Medicaſtros, agyrtas, circulatores, mulierculas, aniculas & alios hujus furfuris peſſimos homines perverſos iſtos & maleferiatos cauſarum Patronos turpiſſime aemulari? Nullum unquam bellum tam truculentum, tam immane atque barbarum geſtum fuit; Nulla unquam peſtilentia tantam edidit ſtragem, tot hominum myriades ad alterum mundum transmiſit, quam ſpurii iſti artis filii filiaeque, quorum quarumve peccata terra tegit. Si ex ſepulcris ſuis ad viventes loqui datum eſſet omnibus illis, qui turpi artis hujus abuſu ad plures abiere, credo, eodem zelo incitatos plerosque principes omnes Medicaſtros, agyrtas & circumforaneos, ditionibus ſuis expulſuros eſſe, quo primus *Iſraelitarum* Rex omnes Magos & Veneficas terra ſancta exterminavit, vel excedere ſaltem juſſit.

Aſt cum jure verendum nobis ſit, ne haec ipſa quoque, quae hucusque ad evincendam, quae eſt inter Jurisprudentiam & Medicinam, cognationem a nobis adlata ſunt, nimium a demonſtrationis noſtrae ſcopo aliena eſſe reputentur, propius ad rem noſtram accedamus neceſſe eſt. Jurisperiti praecipuam ſuam operam locant, locare certe debent, in perita Reipublicae admi-

niſtra-

niſtratione, ut ſingulis aeque ac toti bene ſit. Salus civitatis ſuprema hic lex eſto; Proſpiciendum, ne diſſidia atque tumultus ab otioſis & res novas molientibus excitentur. Rebelles ac tumultuantes ſunt ejiciendi; Qui vero bonorum civium officium implent, quovis modo fovendi, beneficiis alliciendi, & a malorum inſultibus atque injuriis defendendi: Corpus humanum eſt pariter quaedam quaſi Reſpublica. Reginae vicibus perfungitur Anima rationalis; Artus, membra ac viſcera ejus varia, ſunt quaſi totidem ejus ſubditi, in quos pro variis oeconomiae humanae neceſſitatibus, directe pariter ac indirecte, varia exercet imperia, adminiſtrando praeter *actus rationales*, ipſos quoque *animales* ac *vitales*. Quae omnia quamdiu pacate, tranquille, citra turbas & anomaliam geruntur, tamdiu toti oeconomiae bene eſt. Quamprimum vero alterutrum horum ſuo in officio turbatur, vel prorſus deficit, cives tumultuantur, in factiones coëunt, ſeditionemque cient, ſtatim proditur Reſpublica, tandemque ſusque deque vertitur.

Et quid impedit, *Philiatri Optimi*, quo minus elegantem hanc inter Rempublicam & oeconomiam corporis humani comparationem ad ipſum quoque finem ſeu ſcopum utriusque extendamus?

mus?

mus? Jurisprudentiae finis eſt, ſalutaribus legibus, tanquam totidem fulcris, Rempublicam ſuffulcire, & membra ejus putrida enſe, ferro, reſti a reliquo corpore ſano reſecare, ut vera ejus felicitas obtineatur: Et Medicinae ſcopus nullus quoque alius eſt, quam ut convenienti non minus regimine quam diæta congrua, imo & ubicunque opus fuerit, commodis quoque remediis tota actuum vitalium oeconomia ita gubernetur ac dirigatur, ut vera ejus ſalus, quae in inviolata corporis humani ſanitate conſiſtit, ſarta tectaque conſervetur; Imo, ſi neceſſitas id efflagitare videatur, urendum ac ſecandum ſubinde eſt Medico, membrumque foeda putrilagine corruptum eſt reſcindendum, ne pars ſincera trahatur. Quae omnia licet quodammodo cognationem illam, quae eſt inter *Jurisprudentiam* & *Medicinam*, adumbrare nobis poſſint: Nondum tamen arctior & quaſi ſororius, quem hic probare ſuſcepimus, nexus compareret; Quare propius ad propoſitum noſtrum veniendum, ac demonſtrandum nobis eſt, *Jurisprudentiam Medicinae* & *hanc illi* denuo tam arcte implicatam eſſe, ut altera ſine altera ſubſiſtere nequeat. Evidentius id non patebit, quam ſi varios Caſus Medico-forenſes in medium producamus, quos inter ſeſe mutuo JCti ac Medici

dici communes habent, & in quibus explicandis alter alterius ſubſidio abſolute indiget. Atque ne longius hinc abeamus, ſufficiet nobis, notiora quaedam exempla ex Conſtitutione ſic dictaCriminali *Caroli Vti, Romanorum Imperatoris* allegare, in quibus notorium eſt, miſerrime ceſpitare Interpretes Juris, qui Medicorum veterum inſomniis atque deliramentis ſimpliciter fidunt vel eorundem auctoritate excoecari ſeſe patiuntur. *Articulo trigeſimo quinto* dictae *Conſtitutionis Carolinae* agitur de puella, ex indiciis certis de partu clam occiſo ſuſpecta, ac proinde a peritis mulieribus, nempe obſtetricibus, inſpicienda & ad illarum atteſtationem, ſi ipſa delictum negaverit, tormentis ſubjicienda. Certitudinem indiciorum in crimine infanticidii puellæ imputato ante omnia, & merito quidem, requirit *Imperator*; Agitur enim de ſanguine humano: Quis vero Medicorum unquam tam ſimplex fuit, qui intumeſcentiam ac decreſcentiam ventris uterique certum & infallibile graviditatis ſignum eſſe dixerit? Cum tumoris talis augmentum vel decrementum pluribus aliis de cauſſis contingere non modo ſubinde poſſit, ſed & haud infrequenter ſoleat, teſtibus *tumoribus hydropicis*, *tympaniticis*, *flatulentis*. Tanto autem fallacius eſt indicium, ex

pallore faciei deſumptum, quod quippe ſymptoma puellis, *fluore albo* vel *obſtructione menſium* laborantibus ac proinde *cachecticis* & *leucophlegmaticis* familiariſſimum eſt. Non minus infidum infanticidii indicium eſt, ſi in mammis ſuſpectae mulieris lac deprehenſum fuerit: Quare & ipſum Legislatorem non multum momenti in eodem quaerere, inde liquet, quod non ſtatim ad torturam deproperandum, ſed obſtetricum prius conſilio utendum eſſe, prudenter injungat, Medicis inprimis ſimile quid ex alia cauſſa fieri poſſe docentibus. Et quanquam peritas Mulieres, obſtetrices, ad inſpiciendum ſuſpectae corpus requirat Legislator; Eſt tamen lippis atque tonſoribus notum, quanta hodieque obſtetricum ſit ignorantia, ruditas atque imperitia, a quarum proinde depoſitionibus vel atteſtatis ſi pendere deberet talium puellarum fama ac vita, miſerrimam earundem ſortem fore, ex hiſce ſatis perſpicimus. Niſi ergo talium foeminarum vitam aeque ac famam, quae pari paſſu ambulant, manifeſto exponere velit periculo Judex, peritos atque conſcientioſos Medicos conſulat neceſſe eſt. Eodem plane modo comparatum eſt cum crimine *Magiae* ejusdemque indiciis, quae partim inſufficientia, partim dubia, partim manifeſte

feſte falſa ſunt. Quanquam autem erronea haec & praejudicata opinio de putatitio magiae crimine in animis veterum JCtorum tam altas egerit radices, ut eandem denuo eradicare, difficillimum ſit negotium: Noſtris tamen temporibus ſolertia quaedam ingenia excitavit Divina providentia, quorum indefeſſo ſtudio non modo totus *Proceſſus Inquiſitorius contra ſagas* futilitatis eſt convictus, ſed & nullitas ejus invictis argumentis demonſtrata. Ubi enim nullum ſive expreſſum ſive tacitum pactum cum Diabolo datur, nullum quoque dari crimen Magiae, manifeſtae conſequentiae res eſt. Interea nemo non videt, innumeros innocentes homines utriusque ſexus ad rogum damnatos eſſe; Et quis dubitet, ad plura ſecula iſtam Judicum inſaniam proceſſuram fuiſſe, niſi ſaniores Medicorum quorundam cogitationes ſaniora tandem Conſilia JCtis ſubminiſtraſſent. Ut proinde noſtris temporibus rariora anicularum ſimplicium, credularum & utplurimum ſuperſtitione magis quam malitia peccantium, ad ignem damnatarum exempla occurrant. Et utinam abominabilia iſta tempora nunquam recurrerent, quibus ſufficientem torturae cauſſam praebere putabatur, ſi quis de iſto crimine unquam diffamatus eſſet, jurene an injuria,

de eo non multum laborabat imperitus Judex. Quis enim hoc modo vitam famamque ſuam ab intemperie male ſani Judicis, ſanguinem humanum ſitientis, liberam tutamque praeſtare unquam poſſet?

Tempus hac vice non patietur, ut prolixam, quanquam alias utiliſſimam & in foro frequenter admodum ventilari ſolitam quaeſtionem de *lethalitate vulnerum* examinare queamus. Id ſolummodo ſolerti animadverſione haud indignum judicamus, quod, quicquid de efficacia *dierum decretoriorum*, quos alias Medici *Criticos* vocant, hactenus commentati, vel rectius commenti, fuere JCti, in meras tandem nugas & affanias recidat, quia ejusmodi criſes reipſa nihil ſunt aliud, quam ſolennes mutationes in morbis acutis contingentes & vel ad ſingularem materiae febrilis excretionem vel ad ejusdem translationem ad alia loca reſpectantes: Qualium certe mutationum vulnera penitus ſunt expertia: Ut adeo qualitas potius eorundem, quam tempus retinendi vitam poſt factam vulnerationem attendi mereatur; Id quod tamen non aliunde rectius, quam ex arte medico-chirurgica determinari poteſt.

Multo vero minus licebit nobis eſſe prolixioribus

ribus in diſcutiendis controverſiis, quae in declarando partu vitali atque legitimo a JCtis antiquis, *Hippocratis* auctoritate deceptis, magno impetu agitari ſolent. Ut enim hac vice ſilentio praetermittamus, libellos de *partu ſeptimeſtri* & *octimeſtri, Hippocrati Coo* vulgo adſcriptos ejusdem genuinos non eſſe, cum ingens *Divi Senis* ingenium ubique in illis deſideretur: Nulla inſuper ſuadet ratio, *partum octimeſtrem* inter eos, qui ſua natura *vitales* eſſe nequeunt, recenſere, cum termino partus ordinario longe accedat propius, quam *ſeptimeſtris*, quem tamen citra controverſiam *vitalem* atque *legitimum* declarare non dubitant. Quod vero recentiorum JCtorum nonnulli rectius hodie hiſce de rebus ſentiant, id profecto Medicis noſtri temporis in acceptis referre debent.

Denique innumerae aliae in foro agitantur quaeſtiones medico-legales inter Doctores admodum controverſae, de impotentia virorum & ſterilitate foeminarum, de virginitate integra vel laeſa & utriusque notis, de ſtupro violento, de abortu prohibitis artificiis excitato, de quibus omnibus ſine artis Medicae ſubſidio Jurisperiti abſolute nihil decernere poſſunt. Quomodo item morbum ſimulantes ſint deprehendendi, vel disſimulantes convincendi, vel innocentes a morbis ipſis imputatis

 abſol-

abſolvendi? An foetor oris, alarum, ozaena ſeu ulcus Narium, ſarcocele, metus maniae recidivam aliquando paſſurae, ſufficientes ſint cauſſae reſcindendorum ſponſaliorum? An lues Venerea, qua quis laborat, ſufficiens divortii cauſſa eſſe posſit? Quid agendum cum Melancholicis, Maleficos ſeſe vel veneficas eſſe credentibus, ac proinde ſupplicium ultimum ſponte petentibus? An pulmones foetus in aqua ſubmerſi certum vel ſaltem probabile praebeant indicium, partum vel vixiſſe, vel jam in Utero extinctum eſſe? An mania ſit ſimulata, nec ne? Quae ſit conditio imperforatarum? An neglectus ligandi funiculi umbilicalis ſit cauſſa Mortis in infante recens nato? An matrimonium cum Muliere, perpetuo menſtruorum profluvio laborante, diſſolvi posſit, nec ne? An per ſolam ventris inſpectionem Medicus vel obſtetrix determinare valeat, num mulier quaedam olim gravida fuerit? Quis mente captus, quomodo determinandum? An philtra amatoria emotionem mentis cauſentur? An maritus mulieri, fluxu albo virulento laboranti, citra contagii vel infectionis periculum cohabitare posſit? An foeminarum matrix quinque habeat receptacula, ſicuti ſomniavit *Ariſtoteles* & ex illo JCti bona fide tranſcripſerunt? Ut taceam alia ejus farinae plura, in quibus omni-

omnibus Medicorum Reſponſa prius conſulenda, quam certam ſententiam JCti formare posſint.

Et ſicuti ex hiſce omnibus luce meridiana adparet clarius, *Jurisprudentiam* in ejusmodi controverſiis medico-forenſibus ſine ſubſidiaria medicae artis ope ſubſiſtere non poſſe: Ita non eſt, quod disſimulemus, Medicos quoque ſubſidio Jurisperitorum hoc ſaltem in argumento commode carere non poſſe. Medici enim neque leges ferre, neque easdem factis vel actionibus hominum variis adplicare, valent; Sed, quicquid hic in actionibus hominum dirigendis prudentiae elucet, id *Jurisprudentiae* in ſolidum vindicandum eſt.

At vero, *Auditores*, tempus hac vice non patitur, ut mutuum illum nexum, affinitatem, cognationem vel ſororium plane vinculum, quod eſt inter *Medicinam* & *Jurisprudentiam*, prolixius deducere queamus: Suffecerit, ex brevibus hiſce, quas duximus, lineis ſatis intelligere Vos poſſe, quid ex *Lectionibus* hiſce *medico-forenſibus* polliceri vobis debeatis. Vobis inprimis, *Dilectisſimi Themidis filii*, Vobis, inquam, volupe erit, ex Medica Arte genuina percipere fundamenta, quibus varias obſcuras & controverſas leges atque conſtitutiones vero ſuo atque nativo ſenſui reſtituatis, ut ad coecam *Ariſtotelis*, *Hippocratis* aliorumque

que veterum tam Philoſophorum quam Medicorum auctoritatem recurrere non ſit neceſſe. Adquiretis inde quendam quaſi habitum de variis *caſibus medico-legalibus* ſolidum ferendi judicium, ut cauſſas Veſtrorum Clientum ob crimina accuſatorum publico in foro longe conſcientioſius defendere, atque adeo *Advocatorum* munere feliciori cum ſucceſſu perfungi queatis. Vos autem, *O Philiatri Noſtri*, quos ſingulari plane adfectu proſequimur, Vos, qui aliquando ad *Phyſici Ordinarii* vel aliud officium publicum adſpiratis, Vos, inquam, hortor moneoque, ut *Medicinae forenſis* ſtudium Vobis habeatis commendatisſimum; Vobis inprimis incumbet, vera ejus fundamenta cognita habere atque perſpecta, ut cauſſarum Patronis judiciis Veſtris recte praelucere & facem quaſi accendere queatis, quo futuro Judici, hoc quaſi lumine digne colluſtrato, in ferenda ſententia, reo nempe condemnando & inſonte abſolvendo, tanto minus ambiguitatis relinquatur. Nihil ſupereſt amplius, quam ut induſtriam Docentis diligentia Veſtra excitetis! Quare, ut futuro *die Jovis* ad *horam undecimam* frequentes adſitis, etiam atque etiam rogo.

D I X I.

SUCCINCTA INTRODUCTIO IN HISTORIAM LITTERARIAM SCRIPTORUM QUI MEDICINAM FORENSEM Commentariis ſuis illuſtrarunt.

§. I.

CUm praeſens, quod curatius & *methodo* magis *demonſtrativa* illuſtrandum ſuſcepi, argumentum, non uno omnes modo tractaverint, ſed eorum quidam *in univerſum* ea omnia, quae in forenſibus pariter ac publicis cauſſis medici referre conſveverunt, plenius expoſuerint, alii vero ſolam vulnerum lethalitatem evolverint, nonnulli ſingulares tantum quaeſtiones, ad *medicinam forenſem* pertinentes, explicuerint, & alii denique decreta, deciſa atque Reſponſa Prudentum ſive integrarum nonnunquam Facultatum Medica-

rum medico-legalia, in quibus pleraque, de quibus medici conſuli ſolent, *in actu* quaſi *exercito* occurrunt, hiſtorica fide enarraverint: Hinc eadem quoque ſerie Auctores, qui aliquo praedictorum modorum ad locupletandam *Medicinam forenſem* ſymbolas ſuas contulerunt, enarrare placet.

§. II.

FORTUNATUS FIDELIS *FLORENTINUS.*

Qui de *Medicorum renunciationibus in univerſum* ſcripſerit, praeter FORTUNATUM FIDELEM, *Florentinum*, quem *Paulus Ammannus* Medicum Celeberrimum vocat, antiquiorem habemus neminem, ſaepius quippe a *Paulo Zacchia* in *Quaeſtionibus medico-legalibus* citatum, allegatum, commendatum, niſi forte *Baptiſtam Codronchium*, Medicum *Imolenſem*, cujus paullo inferius mentionem faciemus, inde excipere velimus. Primum incomparabile *Fortunati* opus de *relationibus medicorum*, comprehenſum *quatuor libris*, *in quibus ea omnia, quae in forenſibus ac publicis cauſis medici referre ſolent, pleniſſime traduntur*, Anno 1602. in 4. *Panormi in Sicilia* lucem adſpexit publicam, quod deinde reviſum mendisque liberatum, adjecta nova *Praefatione ad Lectorem* Anno 1674. in 8. *juxta exemplar Panormitanum* recudi juſſit *Paulus Ammannus*, qui vel inde illud commendare non dubitat, quod ſimilis argumenti opus ante *Fidelem* nusquam antea in publicum prodierit; Unde ipſe quoque *Fortunatus* de ſe gloriari non erubeſcit, quod *novum iſtud argumenti genus*

PRI-

PRIMUS *ac ſine exemplo* ſuſceperit: Ut proinde harum *Relationum* Auctori eo nomine tanto majores debeantur gratiae, quanto certius eſt, primum intra tot ſeculorum decurſum glaciem eundem fregiſſe, aliisq; facem quaſi praetuliſſe; Quod quam difficile ſit, unusquisq; facile intelligit.

§. III.

In opere ipſo, *quatuor libris* conſtante, apte atq; concinne digerendo eum, quem doctrinae ratio ultro monſtrabat, ſervavit ordinem; *Cum enim*, ut *in Praefatione* ipſemet loquitur, *earum rerum occaſiones, de quibus medici referunt, partim ad* viventes homines, *partim ad* mortuos *pertineant;* Illas *tribus prioribus libris*, has *quarto ac poſtremo comprehendit. Atq; quoniam aliæ foeminarum ſexui propriae ſunt, aliae omnibus communes, illis tertium librum dicavit. Priores vero, quae quidem ad ſalubrem medicinae partem quodammodo referuntur, primo libro diſpoſuit.*

§. IV.

Delineationi totius operis generali methodus tractandi ſpecialis adcurate ubiq; reſpondet, cum nunquam non *Auctori noſtro* ſcribendi occaſio ſponte fuerit oblata. Quanquam enim negandum non ſit, hypotheſibus Veterum, *Ariſtotelis* praecipue, *Galeni, Oribaſii*, *Rhaſis*, *Avicennae* aliorumq; paſſim, ac forte nimium, eundem inſtitiſſe, de quibus, quin hodie melius curatiusq; dici posſit, nullum eſt dubium: Exiſtimandum tamen eſt, indoli temporum, quibus

ille vixit, haec placita ſatis non modo congrua, ſed & debita ubiq; ἀκριβεία pertractata eſſe. Cujus quidem rei ut unicum ſaltem ſpecimen exhibeamus, ex *libri primi ſectione prima*, quae de *locorum ſalubritate* agit, memorare tantum placet, quo modo themati ſuo ſatisfecerit? Poſtquam ſcil. *capite primo* inveſtigavit, *quomodo a vario coeli adſpectu terrarum loca afficiantur?* Ulterius *a ſecundo* ad *decimum quartum usq;* in eo totus eſt, ut disquirat, *qua ratione venti regiones immutent? Quid de aquarum bonitate ac praeſtantia ſit ſentiendum, quemq; valetudini uſum praeſtent? Quid de puteis atq; cyſternis? Aqua item nivali ac glaciali ſit ſentiendum? Et cur fontana pluvia ſit ſemper praeferenda? Quomodo flumina, lacus, ſtagna regiones afficiant, & qualis ſit hortorum locorumq; plantis conſitorum aer? Qua ratione mare vicina loca afficiat? Qualem inſulæ temperiem äeris habeant? Quale ſublimia humiliaq; loca ac montium vicinitas ſalubritatis indicium praebeant? Quomodo ex terrae atq; adnaſcentium herbarum natura; Item ex certa animantium habitudine ac promiſcuis quibusdam aliis regionum ſalubritas judicetur? Quæ ſalubris viarum ratio in civitate eſſe debeat? Quaeq; ex praedictis conditionibus praeſtent caeteris? Qui inſalubrium corporum ſtatus, quibus gaudeant locorum naturis? Quatenus terrarum loca ipſos hominum animos afficiant? Et quomodo tandem climatum temperies dijudicanda ſit?* Ex quibus omnibus, quam adcurate thema ſibi propoſitum evolverit *Noſter*, liquido conſtare poteſt: Unde ad reliqua concludere facile licet, quae ideo prolixius recenſere ſuperſedeo, ſi tamen prius admonitiones quasdam & praecepta, in

con-

contexendis medicorum relationibus obſervatu ſumme neceſſaria adjecero.

§. V.

Meminit eorundem *Auctor* in concluſione totius operis, quae huc potiſſimum redeunt: Mature omnia prudenterque, nec ſine judicii acrimonia perpendenda eſſe, ne, cum quis a Magiſtratu ad relationem ferendam adhibitus fuerit, nimis praeceps atq; inconſultus in judicando dicendoq; deprehendatur; Medicum referentem, ante omnia alia, veri ſemper amatorem atque amicum eſſe oportere; Leviores aegritudines nunquam verbis nimis eſſe exaggerandas, ut nihilo graviſſimis leviores habeantur, nec ambaguis loquendi formulis, quae iniqua interpretatione veritatem obſcurare poſſint, Judicibus imponendum; In pertexendis relationibus avaritiam atque lucri cupiditatem in perpetuum exilium eſſe relegandam; Deniq; non decere medicum, in tradenda relatione nimis eſſe obſcurum & intellectu difficilem; Subinde tamen in nonnullas rerum occaſiones eundem incidere, ut, cum nihil certi de re propoſita renunciare queat, dubia interdum atq; incerta referre cogatur.

§. VI.

Dignitate *Fortunato Fideli* proximus eſt PAULUS ZACCHIAS, *Romanus*, totius Status Eccleſiaſtici Proto-medicus generalis, qui incomparabile illud *quaeſtionum Medico-legalium* opus, Juris pariter ac Medicinae peritis nec non

PAULUS ZACCHIAS, *ROMANUS.*

Tri-

Tribunalium tam Eccleſiaſtici quam Civilis Aſſeſſoribus ſummopere neceſſarium, edidit, & partitis quidem vicibus, adeo ut praedictarum quaeſtionum liber *primus* A. 1621. in 4. *Romae*, liber *ſecundus* ibidem A. 1625. *tertius* & *quartus* 1628. *quintus* 1630. *ſextus* 1634. *ſeptimus* & *poſtremus* 1635. pariter ibidem publicae primum luci ſiſterentur, deinde vero *Amſtelodami*, additis inſuper duobus libris, *octavo* nimirum & *nono*, prodirent, ſicq; univerſum opus, in *tres tomos* diſtinctum, a mendis purgatum paſſimq; interpolatum & novis recentiorum inventis ac obſervationibus auctum ſtudio famigeratisſimi Medici, *Johannis Danielis Horſtii* Anno 1666. in Folio *Francofurti* evulgaretur, tandemq; eadem forma, ſed pluribus in locis notis & obſervationibus curioſis, qua Juridicis qua Medicis, quas Celeberrimi JCti & Medici benevole communicarunt, abunde locupletatum a *Georgio Franco*, Univerſitatis *Heidelbergenſis* ea tempeſtate Pro-Cancellario & Medicae Artis Profeſſore in publicum emitteretur: Quae editio tam elegans eſt, ut in ea nihil ferme deſiderari poſſe videatur, niſi quod innumeris fere mendis typographicis ſcateat. De *tertio* tamen *Tomo* id notari meretur, quod Conſilia & Reſponſa LXXXV. nec non *deciſiones ſacrae Rotae Romanae* ad praedictas *materias medico-legales* pertinentes contineat, quas in Medicinae & Juris peritorum nec non Tribunalium Aſſeſſorum gratiam D. *Lanfrancus Zacchias* collegit ac publici juris fecit.

§. VII.

§. VII.

Ordo quaeſtionum à *Zacchia* ventilatarum hic eſt: *Libro primo* continentur quaeſtiones *de aetatibus; De partu legitimo & vitali; De praegnantia, ſuperfoetatione & mola; De morte, cauſa partus, nec non de ſimilitudine ac disſimilitudine natorum. Libro ſecundo* disquiritur *de dementia atq; venenis* & animadverſiones quaedam *in leges aliquot ff. de Ædil. edicto* adferuntur. In *tertio* de *impotentia cöeundi & generandi, de morborum ſimulatione* nec non *de peſte & contagio* agitur. In *quarto* quaeſtiones de *miraculis, virginitate & ſtupro* diſcutiuntur. *Quintus* exagitat quaeſtiones de *jejunio* & *quadrageſima* a *Pontificiis* proponi ſolitas, ut & *de vulneribus, de membris eorumq; mutilatione*, nec non *de äere, aquis & locis. Sextus* de *medicorum erroribus a lege punibilibus, de tormentis & poenis, de praecedentia inter medicum & Juris peritum; Septimus* de *debito conjugali & ſtigmatibus magorum* agit, tandemq; *octavus* de *morbis tam animi quam corporis*, & *poſtremus* de *fœtus humani animatione*, an ſcilicet anima rationalis ex traduce propagetur, an vero de novo a DEO creata corpuſculo embryonis immediate infundatur, ſatis curioſe, optaremus, ut etiam utiliter, disquirit.

§. VIII.

Quanquam vero nullum ſit dubium, permulta aliter dicere *potuiſſe*, imo vero *debuiſſe Zacchiam*; Ingenue tamen fatendum eſt, nullum in hoc eruditionis genere opus cum ejusdem *quaeſtionibus medico-legalibus* comparari poſſe, ſive ipſarum materiarum ibidem

ibidem tractatarum ubertatem, ſive *Auctoris* inſignem ingenii praeſtantiam, ſive eximiae eruditionis profunditatem, ſive ſubtilis judicii acrimoniam, ſive locupletem in arte noſtra experientiam ſive ipſam quoq; Juris peritiam, quam certe non ſuperficialem eſſe oportuit, ſpectaveris. Ut profecto nullum in hunc usq; diem videre licuerit opus, quod plenius, perfectius atq; locupletius univerſam *renunciandi* facultatem tradiderit, ac proinde *Zacchiae* operi anteponi vel par ſaltem haberi mereatur.

§. IX.

THOMAS REINESIUS, *SAXO-GOTHANUS.*

Comparuit equidem in eruditorum Theatro *THOMAE REINESII*, Saxo-Gothani, Archiatri, Poliatri & Conſulis *Altenburgenſis*, *Schola Juris Conſultorum Medica, Relationum libris aliquot comprehenſa, quibus ſcil. principia Medicinae in Jus tranſumpta ex profeſſo tractantur;* Quem quoque librum, ut propemodum crederes, genuinum *Reineſii* foetum fuiſſe, *Georgius Abrahamus Mercklinus*, medicus *Norimbergenſis* in *Lindenio* ſuo renovato eidem *Reineſio*, licet perperam & incogitanter, vindicavit: Jam dudum tamen praelaudatus *Francus* in Praefatione ad *Quaeſtiones Medico-Legales Zacchiae*, plagium ſubeſſe, animadvertit, cum frigidus & ſcaber ſtylus reliquis limatis & acumen undique ſpirantibus *Reineſii Scriptis* non reſpondeat, atque adeo fraus non difficulter detegi queat. Unde ſine dubio, ſi viveret, ſtomacharetur ſummus Criticus & Polyhiſtor, ſi tantum nominis ſui abuſum in ſuppoſititii ſcripti editione commiſſum animadverteret.

§. X.

§. X.

Aetate ſi non prior, ſaltem non multo poſterior *Fortunato Fideli* fuiſſe videtur BAPTISTA CODRONCHIUS, Philoſophus ac Medicus *Imolenſis*, qui in quibusvis caſibus medico oblatis *methodum teſtificandi* Anno 1597. in 8. edidit, in qua nonnullas quidem difficiles, attamen pulcherrimas quaeſtiones explicuit, ſimulq; formulas quasdam *teſtationum* adjecit, opus non medicis tantum ſed & Jurisperitis atq; Judicibus admodum utile. Suſcepit illud tanto lubentius, cum advertiſſet, a nemine, quantum ipſi innotuerit, litteris traditam eſſe methodum hanc ſeu rationem, apud Judicem in qualibet oblata occaſione opinionem ſuam in ſcriptis proferendi: Unde patet, aut *Fortunati Fidelis* librum *de relationibus Medicorum* eo tempore lucem nondum adſpexiſſe, aut ſaltem *Noſtro* ignotum fuiſſe.

BAPTISTA CODRONCHIUS, *IMOLENSIS.*

§. XI.

Quaeſtiones, quas diſcusſit, hae ſunt: *Qua ratione morbum ſimulantes a medico deprehendendi, & quinam ſint morbi, quos potisſimum fingere ſolent? Quanam ratione de vulnerato ſit teſtificandum, ubi etiam de ſignis ac judiciis vulnerum agitur? Quibus notis vulnera a venenatis armis illata vel veneno infecta dignoſcantur? An mortis aut ſymptomatum repentinus eventus veneno exhibito vel corruptioni humorum ſit adſcribendus? Ubi ſimul de ſignis venenorum in genere & in ſpecie tractatur, nec non de ſignis mortui ex veneno? Venena dare vel vendere prohiberi, quae enumerantur. Utrum quaelibet veneni quantitas hominem*

minem jugulare poſſit? Quaenam ſint ſigna pubertatis, ubi de iis ſimul ſermo eſt, qui concumbere non poſſunt, ac de cauſis? Quibus indiciis deprehendi queat, virginem eſſe incorruptam? Quibus itidem ſignis mulier gravida dignoſcatur? Utrum medicus cognoſcere poſſit, mulierem partum abegiſſe, ubi etiam de medicamentis abortivis agitur? An mulier poſt decimum menſem parere queat, & an partus iſte ſit legitimus? Cujus ſit cenſendus partus mulieris nonimeſtris, quae viro defuncto poſt paucos dies alii nupſerit? Probat dehinc, *mulieres quinquagenarias concipere adhuc poſſe:* Tandemq; una cum formulis teſtimoniorum quorundam ſubnectit: *An disſimilitudo nati ad parentes ſufficiens adulterii argumentum ſit?* Qua data occaſione cauſſas ſimilitudinis ac disſimilitudinis filiorum cum genitoribus explicat.

§. XII.

Redolent vero pleraque *Scholaſticam* & *Ariſtotelicam* Philoſophiam; Quod, ut cuilibet primo ſtatim intuitu manifeſtum reddatur, *caput decimum*, quod *de iis, qui concumbere non poſſunt*, ejusque rei *cauſſis agit*, excerptum ſiſtemus: Demonſtraturus itaq; *Noſter* cauſſas impotentiae & ineptitudinis ad exercendam venerem, quaerit illas vel in *virtutis* ſeu *roboris defectu*, vel in ipſorum *inſtrumentorum* generationi ſervientium *ineptitudine* vel in *defectu ſeminis* vel in *hiſce omnibus ſimul* ſumptis. *Virtutis* ſeu *roboris imbecillitatem* oriri contendit ex inſigni aliqua intemperie, inprimis frigida renum, ex motibus animi, ex inſigni quadam evacuatione ſangvinis aliorumq; humorum, longa inedia, vigiliis vel immodicis exercitationibus. Inſtrumen-

ſtrumentorum, ſive ſecretioni ſive effuſioni ſeminis inſervientium intuitu, accuſat teſtium vaſorumque ſeminalium intemperiem vel ſimplicem vel compoſitam, ſine vel cum materia & praeſertim frigida; Vel ſi penitus obſtruantur ſeminiq; via praecludatur, vel aliqua continui ſolutione laborent &c. Ex parte ſeminis actum venereum impediri exiſtimat, vel quia ex toto, vel majori ex parte deficit, vel alio transmittitur, vel quoniam vitioſum eſt, nempe vel nimis frigidum vel craſſum, omnisq; mordacitatis expers. Atq; causſis hiſce internis addit tandem externas, quas inter primum locum asſignat incantationibus ac veneficiis, vulgo *ligaturis* appellatis, quibus quippe, ſecundum *Auctoris* noſtri opinionem, maleficae mulieres conſueverunt homines ad coitum impotentes reddere, modo ad omnes indiſcriminatim mulieres, modo vero ad unam tantum. Verum hiſce omnibus *Neotericorum* principia & obſervationes longe clariorem lucem adfundere posſunt, ſicuti ſuo loco probabimus.

§. XIII.

Caeterum monendum hic eſt, eundem *Codronchium* peculiari libro *de veneficiis* uberius tractaſſe, quem tamen ut prolixius hic recenſeamus, nihil attinet.

§. XIV.

Majori jure huc referimus AMBROSII PAREI *Pariſienſis*, Primarii Regis Chirurgi, ſuccinctam tractationem *de renunciationibus*, qua inſtruit Chirurgum, quomodo in *renunciationibus*, apud Judices contexendis, ſive de AMBROSIUS PAREUS, *PARISIENSIS.*

morte, ſive de imbecillitate ſive depravatione membri alicujus in proprii officii functione agatur, gerere ſeſe debeat? Quo in negotio recte expediundo non modo eundem callidum & ingenioſum, ſed & fidelem eſſe debere contendit. Inprimis autem inquirit in ſigna lethalitatis vulnerum, praecipuis partibus atq; viſceribus inflictorum; Ex quibus itidem indiciis infantis ſuffocationem hariolari liceat? Quae ſint ſigna hominum fulmine extinctorum? Num, qui ſuſpenſus eſſe cernitur, vivus an mortuus fuerit ſuſpenſus? Qui vivi vel mortui fuerint ſubmerſi? Quae ſit ratio eorum, qui carbonum vapore fuere ſuffocati? Quinam apoplectici moriantur? Quibus omnibus formulae quaedam *renunciationum*, quibus *Pareus* uſus fuit, adnectuntur.

§. XV.

RODERICUS a CASTRO, *LUSITANUS.*

Eodem jure ſuum hic locum invenit RODERICI a CASTRO, *Luſitani*, Philoſophi ac Medici, per univerſam Europam notisſimi, *medicus politicus* ſive tractatus de *Officiis medico-politicis*, quatuor libris diſtinctus, *in quibus non ſolum bonorum medicorum mores ac virtutes exprimuntur, malorum vero fraudes & impoſturae deteguntur: Verum etiam pleraq; alia circa hoc argumentum utilia atq; jucunda proponuntur.* Misſis autem hac vice iis, quae tribus prioribus libris, ad nos quippe hac vice non ſpectantibus, comprehenduntur, ea ſolum recenſebimus, quae *poſtremo* continentur, quaeq; *de faſcinatione*, de *philtris*, & de *alexicacis* ſeu *ſalutatoribus* agunt, ſimul

ſimul tamen ventilatis aliis non minus difficilibus quam utilibus in foro quaeſtionibus: *Qua* nempe *ratione morbum ſimulantes ſint deprehendendi?* Et *quomodo amiſſa virginitas & alterius conjugis ſterilitas ſit exploranda?* Subjuncta ſimul *methodo teſtificandi* circa eos, quibus venenum exhibitum fuit, uti & de vulneribus capitis, iisq;, qui aqua ſuffocati fuerunt: Quae omnia atq; ſingula, rationibus tam affirmantium quam negantium utrinq; collatis & expenſis, ſatis eximie atq; judicioſe a *Noſtro* ſunt diſcuſſa.

§. XVI.

GERHARDUS FELTMANNUS.

Nec in deteriorem, ſpero, partem interpretabuntur JCti, ſi celebrem GERHARDUM FELTMANNUM, JCtum & Anteceſſorem primarium in *Academia Groeningana* huic ſcriptorum ſeriei adnumeravero, qui quippe, praeterquam quod *de cadavere inſpiciendo* ſeorſim egerit, alia quoq; argumenta medico-legalia ſuis pasſim in ſcriptis diſcutienda ſibi ſumſit. Liceat nobis ex *Deciſionum* ejus *Decade ſecunda Deciſione decima* unicum ſaltem ſpecimen de *crimine Magiae* allegare, quod in totum quidem *Noſter* negare non audet, interea tamen vulgaria indicia ad id probandum non ſufficere recte, mea ſententia, contendit, atq;, ut de *corpore delicti* prius conſtet, jure ante omnia efflagitat: Nam ſi accuſaſſe ſufficeret, quis quaeſo innocens foret? Inſulſum quoq; eſt, alteri effectum quendam imputare velle, quem ille omni ſuo molimine impedire non potuit, tantum abeſt, ut auctor ejusdem

ſit

ſit dicendus. *Titius* v. g. adfuit *Cajo*; Coepit *hic* protenus, ex quo *ille* abiit, aegrotare, atq; octiduo poſt mortuus eſt; Indene valide concludi poteſt, *Titium* veneno enecaſſe *Cajum?* Vereor, ne haec concludendi ratio nimis abſurda plerisq; videatur: Inprimis ſi inter *Titium* & *Cajum* nulla unquam inimicitia exarſiſſet, nec minae praeceſſiſſent & mors non illico, ſed poſt intervallum octo demum dierum ſequuta eſſet. Neq; teſtimonio ſagarum, ferali igne extinctarum, nocturnis ſaltationibus & comeſſationibus quempiam interfuiſſe, multum defert *Noſter*; Etiamſi enim, celebrari conventus ſagarum, detur; Inde tamen, *criminis Magiae* convinci quempiam poſſe, non conſequitur; Quia ex pharmaco, quo ſe inungunt ſagae putatitiae, quando ad conventus ſuos deproperant, in profundum ſoporem incidunt, & cum ejusmodi rebus animus antea fuerit intentus, tanto minus mirandum, ſi in ſomno avia a ratione anima erret, & per quietem ea ſe ſentire credat, quae tamen nunquam evenerunt; Interea recte addit: Jam dudum iis, qui bonam amant mentem, placuiſſe; *Conventus tales ſagarum nunquam dari.* Quod ad *malam famam* adtinet, illam ſufficienter probandam eſſe, non ſane fruſtra monet. Immerito deniq; allegatur, quod quis cum aliis magiae criminis poſtulatis mortisq; ſupplicio adfectis converſatus fuerit; Status enim & conditio vitae, in qua quis verſatur, ſaepius id efflagitat, ut cum cujusvis generis hominibus converſemur, nec tamen, quales ſint, divinare nobis ſemper integrum

ſit. Et quid quaeſo faceret vir honeſtus, ſi ob imputatum Magiae crimen Judicio ſiſteretur? Quis miraretur, ſi, quando de capite, de bonis, de omni denique ſua liberorumq; ſuorum fortuna periclitaretur, ſi inquam, aliena loqueretur vel talia proferret, quae facerent ad crimen a ſe abalienandum? Quis ideo culparet eundem, cum omnis honeſta expediendae ſalutis ſit ratio? Et quid tandem fiet, ſi magiae criminis ſuſpectos velis arguere eos, qui, ſagas reperiri, negant: Tunc enim non modo multos de republica litteraria egregie meritos viros, eosq;, quorum poſt fata virtus famaq; bona vivit, ejus ſceleris participes efficies, ſed & in *Belgio*, *Britannia*, atque *Galliarum parte maxima* magorum major erit numerus, quam olim eſt muſcarum, cum calet maxume. Concedamus autem, magos dari; Largiamur ultro, ſupplicio ultimo adficiendos eſſe eos, qui criminis magiae rei probabuntur: Nunquam tamen per *Juſtinianum* imponi ſibi patietur *Auctor*, ejusmodi magos dari, qui ſuſurris magicis hominem necare poſſint; Imo potius ſuam non modo ſententiam ab omni ſuſpicione liberam ſed & verisſimam eſſe, cum *Auctore* fatebimur, cum hujusmodi faſcinantium artes tanquam aegrae mentis deliria & aniles nugae merito hodie rideantur. Ex quibus omnibus recte tandem infert: In crimine magiae, quod non ſingulorum tantum civium, ſed & familiarum ſtragem & tandem rerumpublicarum everſionem portendit, ſatius eſſe, nocentem abſolvere, quam innocentem condemnare. Fructus ejuscemodi

modi doctrinae egregius hic eſt; Quod hodie proceſſus inquiſitorii in ſagas rarius inſtituantur; Quod pauciores ibi magi reperiantur, ubi parcius mitiusq; puniuntur; Quod in *Clivia* aeq; ac *Belgio* magiae accuſationes ſint rariores &c.

§. XVII.

Paulus Ammannus, *Lipsiensis.*

Ejusdem hujus loci eſt PAULI AMMANNI, Profeſſoris Medicinae *Lipſienſis Irenicum Numae Pompilii cum Hippocrate*, quo veterum cum Medicorum tum Philoſophorum hypotheſes in corpus Juris civilis pariter ac Canonici hactenus trans-ſumptas a praeconceptis opinionibus vindicavit, quod opus JCtis pariter atq; Medicis utile eſt, utpote in quo quaeſtiones propoſitae ex ipſis legum Textibus & variis *Reſponſis Facultatis medicae Lipſienſis* illuſtrantur. Scripſit idem quidem *Ammannus* Medicinam quoq; Criticam; Verum ea nondum hujus eſt loci, ſed commodior de ea diſſerendi occaſio offeretur nobis paullo inferius.

§. XVIII.

Occaſio interim Irenicon hoc ſcribendi haec fuit: Cum animadverteret *Ammannus*, varias in CORPUS JURIS hypotheſes tam Philoſophicas quam Medicas eſſe translatas, easq; vel oppido falſas, vel dubias vel prorſus nullas eſſe eoq; potius modo comparatas, ut non poſſent non diſcentibus remoram objicere, ut quaſi torpedinis morſu ſauciati manerent ſtupidi, neſcientes, quomodo ſeſe extricarent: Hinc

Hinc in eorum gratiam varia collegit praejudicia, obſervationes atque curationes, ex propria tamen praxi maximam partem hauſtas, quas deinde diſcurſibus criticis exornavit, ſicq; tandem, ut publici juris fierent, permiſit. Eſt vero, quod *in praefatione* ipſe *Ammannus* provide monet, totum opuſculum bimembre, quorum *primum* continet *dialogum breviſſimum Numae Pompilii cum Hippocrate*, quod nempe tranſlatas opiniones attinet; *Alterum* complectitur *Prodromum vindicationum*, variis caſibus & hiſtoriis ſtabilitum.

§. XIX.

Ita v. g. cum inter alia, quae JCti a medicis ſunt mutuati, etiam hypotheſes Medicorum veterum de *ſucco melancholico* ſeu *atrabilario* aſſumpſerint, easque deinde legi 2. ff. de Ædil. Edict. applicuerint: Merito ſtomachatur *Ammannus*, atque nugas iſtas ex Corpore Juris vult eſſe remotas: Quia ejusmodi atra bilis vel humor melancholicus nec in maſſa ſangvinea, nec in liene, nec in capſulis atrabilariis vel renibus ſuccenturiatis, nec ullibi in corpore humano reperitur: Nec icterus flavus, nec abſurdus ac luridus ſcorbuticorum color, nec mammarum cancer nec quicquid aliud bilis atrae exiſtentiam ſatis probat. Unde tandem concludit: In poenarum irrogatione adverſus delirantes vel melancholicos atram bilem vel humorem melancholicum nunquam reſpiciendum, ſed magis delirium & ejusmodi cauſas, quales in hac puerpera, de qua ſermo eſt, fuerunt ſuppreſſio lochiorum, adſpectus mendici elinguis improviſus indeq; natus terror &c. attendendas eſſe.

§. XX.

JOHANNES BOHNIUS, LIPSIENSIS.

Praeter *Ammannum* breviter quidem, ſolide tamen, univerſam *Medicinam forenſem* diſcusſit JOHANNES BOHNIUS, Doctor atq; Profeſſor Medicinae *Lipſienſis* in erudito Commentario *de Officio medici duplici, clinici* nimirum atq; *forenſis*, in quo adcurate exponitur, *qua ratione ille penes infirmos pariter ac in foro gerere ſe debeat, ut medici eruditi, prudentis ac ingenui nomen utrinq; mereatur.* Seorſim jam pleraq; olim *Exercitationum Academicarum* forma prodierant, certas deinde ob rationes in unum volumen digeſta publiciq; juris facta. Sponte in duas ſeſe partes diſpeſci patitur tractatus; In quarum *prima* egit *Auctor* Celeberrimus de medici genuini requiſitis in genere, ſeu, quibus *clinicum* aeq; ac *forenſem*, ſi periti titulum undique tueri et civibus pariter ac civitati operam ſuam cum eorum ſalute praeſtare malit, inſtructum eſſe oporteat; In *poſteriore* edocuit eundem, quomodo coram Magiſtratu, ſi ab hoc poſtulatus fuerit, de rebus forenſibus & civitatis incolumitatem concernentibus, perite aeque ac fideliter deponere conveniat? Ubi inprimis, poſteaquam doctrinae *medicinae forenſis* neceſſitatem & uſum declaravit, capite *ſecundo* ac *tertio* medicorum, chirurgorum atq; obſtetricum deponentium requiſita exponit, dehinc Capite *quarto* renunciationum inſtrumenta indicat, & *duobus poſtremis capitibus* tam de *renunciandi modo*, quam etiam de *renunciationum difficultate* differit.

§. XXI.

§. XXI.

In medico deponente, qui tamen ſimul quoq; chirurgorum & obſtetricum, ſi quando in foro deponere jubeantur, director eſſe debet, non modo requirit *Auctor*, ut ſit legitime promotus ſuaeq; artis gnarus, ſed etiam, ut conſcientiae ſuae amans, adeoque bonae famae & fide dignus ſit, ubi tamen hoc inſuper peculiare leges ipſi indulſerunt, ut non ſemper de rei veritate, ſed de credulitate ſeu probabilitate tantum, nempe in cauſis, quae in ſenſus minus incurrunt, nec alias ſciri certo poſſunt, deponere cogatur, imo liberum eidem ſit, in caſibus difficilioribus aut judicium ſuum ſuſpendere aut dubie ſaltem reſpondere. Circumſpecte tamen etiam atq; praemeditato medico eſt renunciandum, quia omnis feſtinatio hic maxime eſt nociva, nimia quoque prolixitas ſedulo vitanda & contra perſpicuitati atq; claritati ſtudendum, ac, ne aliena, ad rhombum nihil facientia, admiſceantur, prudenter cavendum.

§. XXII.

Et quamvis Chirurgorum *in deponendo* coram Judice opera rarius, praeſertim in caſibus difficilioribus & vulnerum maxime lethalitatem concernentibus, requiratur; Fit tamen ſubinde, ut in rebus levioris momenti, v. g. in membrorum mutilationibus, bubonibus, ulceribus &c. dijudicandis admittantur, nunquam tamen ſoli, ſed medico ſociati; Quia in causſis arduis, ubi accuratiore inſpectione, prudentiore conjectura & ratiocinatione opus eſt,

Chirurgi: Medico ſociati

 eorum

eorum relationibus, ſine medici approbatione, aut, ſi mavis, directione, minime fidendum eſt, cum ſufficienti peritia & dexteritate, quae ad habile teſtimonium reddendum requiritur, deſtituantur. Quotiescunq; tamen *ad teſtificandum* poſtulantur a Judicibus, toties omni ſinceritate, ingenuitate ac perſpicuitate *in renunciando* utantur neceſſe eſt.

§. XXIII.

De *obſtetricibus* deniq; non eſt ignotum, quod aliquando in *cauſis forenſibus*, virginitatem, ſtuprationem, impraegnationem, impotentiam foemineam &c. concernentibus *ad deponendum* poſtulari ſoleant; Ubi tamen non immerito ambigit *Noſter*, an obſtetrices noſtrates ea peritia ſint inſtructae, ut in rebus tanti momenti recte dijudicandis digne ſeſe gerere queant? Totidem potius ineptitudinis earundem atq; ignorantiae argumentis in contrarium proſtantibus, ut, ſive ſtatus partus ab ipſis explorandus, ſive primogenitura gemellorum decernenda, ſive vitalitas partus pronuncianda, ſive ſexus nati dubius diſcernendus, ſive ſtuprum manifeſtandum, ſive maturitas ac perfectio partus determinanda, ubiq; ignarae mulierculae miſere ceſpitent. Ubicunq; tamen earundem opera *in deponendo* ſollicitatur a Judice, id nunquam ſine debita ſubordinatione fiat, i. e. ad inſpectionem vel renunciationem nunquam ſolae admittantur, ſed medico perito ſociatae. Atq; eadem plane dexteritate *Auctor* noſter reliqua etiam momenta, *renunciationum* ſcilicet inſtrumenta modumq;

dumq; exequitur, ut, ea omnia prolixius hic excerpta ſiſtere, non ſit neceſſe.

§. XXIV.

Progredior potius ad hiſtoriam ſcriptorum, qui de *vulnerum lethalitate* eruditos nobis Commentarios reliquerunt, quos inter *Bernhardum Suevum, Melchiorem Sebizium, Godofredum Welſchium, Johannem Bohnium* aliosq; referimus. Quibus tamen omnibus aetate ſuperior fuiſſe videtur HERMANNUS CORBEUS, qui in Oratione Panegyrica, quam in *Academia Marpurgenſi* habuit, de *vulneribus lethalibus* & *non lethalibus* breviter quidem, attamen nervoſe, diſſeruit.

§. XXV.

Poſt *Corbeum* primum in hoc ſcriptorum ordine locum conceſſimus BERNHARDO SUEVO, Rotenburgo-Tuberano, Medicinae Doctori & *Phyſico Winsheimenſi*, qui *de inſpectione vulnerum lethalium & ſanabilium praecipuarum humani corporis partium* tractatum edidit, & variis quidem *cum veterum tum recentium medicorum obſervationibus, exemplis & controverſiis illuſtratum, & non minus JCtis quam medicis perutilem ac neceſſarium.* Cauſſas ſcriptionis *in Praefatione* ipſe non niſi duas allegavit; *Prima* illarum eſt *amor honeſti*, ne Proceres bene conſtitutarum Rerumpublicarum, quibus ſalus ſubditorum a DEO concredita eſt, in dubiis quandoq; caſibus, ubi vulnerato pariter ac vulneranti jus decernendum eſt, arduam hanc inſpi-

BERNHARDUS SUEVUS, *ROTENBURGO-TUBERANUS.*

 ciendi

ciendi & curandi vulnera provinciam ſolis barbitonſoribus & balneatoribus committant, quibuscum utplurimum ob craſſam ſuam inſcitiam & imperitiam, in Anatome praeſertim, baſi Chirurgiae, εὐπραξίας ita comparatum eſt, ut vulnus vel alium quemvis morbum lethalem dicant, qui tamen nihil minus, quam talis eſt, & utrum ex vulnere vulneratus an alio ſuperveniente ſymptomate perierit, neſciant? *Altera* vero quae ad ſcribendum *Auctorem* noſtrum compulit, ratio haec fuit, quod, cum haec omnia longiorem tractationem deſiderent, aliis anſam praebere voluerit, hoc doctrinae genus perpoliendi & abſolvendi: Quo tandem antiquisſimae & nobilisſimae arti chirurgicae, ad tonſtrinas barbitonſorum imperitorum relegatae, priſtinus honor & integra libertas reſtituatur.

§. XXVI.

Tractatum ipſum duas in partes diſtinguit *Noſter*, ita quidem, ut in *priore*, praemiſſo neceſſario diſcurſu *de utilitate & neceſſitate ſignorum prognoſticorum* in vulneribus, proponat primum dubia quaedam, cur ſcil. ex levi vulnere quidam moriantur, ex graviore vero alii convaleſcant? Quam eventus diverſitatem non modo *ex partium vulneratarum differentia* & *ipſorummet vulnerum varietate*, ſed & ex ipſa *corporum* ſymptomatumq; diverſitate vult eſſe petendam. Deinde, quid in unoquoq; vulnere in genere conſiderandum ſit, expendit *Noſter*, nempe non modo *patientem* & *affectionem*, ſed & *agentem* & *externas quasdam circumſtantias* vult eſſe conſiderandas. Per *patientem* intelligit *ſubjectum*,

jectum, idq; vel *univerſale*, in quo temperamentum, virtutem, habitum corporis, ſexum, aetatem & praeſentem corporis diſpoſitionem, quatenus vel ſana vel aegra vel neutra eſt, una cum vitae inſtituto & conſuetudine ſpectat: In *particulari* vero ſubjecto praeter dignitatem partis & temperamentum, ipſam quoq; ſubſtantiam & ſitum conſiderat. In *agente*, ſcil. Chirurgo ſufficientem requirit ſcientiam, peritiam, voluntatem & animum; In *affectione* ſeu vulnere ipſo quantitatem, qualitatem & inſtrumenta, quorum ope membra vulnerata fuere, vult eſſe penſitanda & ad circumſtantias externas praeter äerem ambientem, ipſam potisſimum diaetam una cum regimine patientium refert. Deniq;, quid vocabulo θανάσιμȣ proprie denotetur, explicat, triplicem ſignificatum eidem tribuendo, quatenus nempe vel ſumatur *pro eo, quod ſemper & neceſſario mortem adferat*, vel *pro eo, quod ſaepe & utplurimum interimat*, vel deniq: *pro eo, quod non quidem interficiat aut internecionis ſignum ſit, quod tamen valde malum* exiſtat. Cauſſas vero, ob quas vulnus lethale eſſe contingat, has potisſimum enumerat, nempe vel partium vulneratarum nobilitatem, vel officii ad vitam neceſſarii interceptionem, ſymptomatum ſupervenientium vehementiam, conjunctam enormiorem haemorrhagiam vel curandi ἀδυναμίαν, rerum neceſſariarum defectum, aegri inobedientiam, intemperantiam & negligentiam, inſcitiam & imperitiam Chirurgorum ipſiusq; corporis impuritatem rerumq; vulnerantium diverſitatem aliasq; plures cauſſas.

§. XXVII.

§. XXVII.

In parte tractatus hujus *ſecunda* proſequitur *Auctor* vulnera praecipuarum corporis humani partium, exordium capiens ab iis, quae capiti, cerebro, ſpinali medullae, oſſibus temporum, aliisq; capitis partibus inflicta fuere. De laeſionibus ſincipiti illatis pronunciat, illas ideo lethaliores eſſe prae illis, quae aliis capitis partibus illatae ſunt; Quod 1) oſſa ſincipitis ſunt tenuiſſima & admodum debilia, atq; adeo facile diffringuntur & contunduntur; 2) Quod ea in parte capitis plurimum ſubeſt cerebri. 3) cutis in ſincipite tenuior, quam alibi in capite & 4) Quod in anteriore cerebri parte venae & multae & effatu dignae occurrunt, ac deniq; propter ſuturas, ubi anterius ſeſe ſiſtit *coronalis*, poſterius *lambdoidea* & in medio oſſa ſincipitis dirimens, *ſagittalis.* Unde colligitur, longe facilius diffringi ibi cranium, malumq; communicari craſſae meningi; Quia per ſuturas filamenta ſua trajicit & pericranium conſtituit.

§. XXVIII.

Poſt vulnera ſincipitis ea, quae ad ſuturas facta ſunt, propter ſequentes rationes periculoſa eſſe judicat; Quia 1) oſſa circa illas non ſunt ſolida, ſed diviſa ac proinde, ut ictibus inflictis reſiſtant, infirmiora. 2) Quia pus ibi contractum facile deſcendit & ad cerebum transfunditur. Ac 3) quia ex ſuturis exeunt filamenta meningis craſſae, quae proinde in conſenſum facile rapitur.

Vulnera cerebri omnia, utut nonnulla illorum ſubinde curata eſſe, Veterum aeq; ac Recentiorum ſcripta teſtentur, ob has ſimilesq; cauſſas periculoſa eſſe ſtatuit; Nempe vel ob nobilitatem partis & officii, quo fungitur, neceſſitatem; Ob motum cerebri ejusdemq; humiditatem ac frigiditatem, ob nervorum conſenſum, quorum quippe eſt principium; Ac deniq; ob ἀδυναμιαν curationis. Et cum ſpinalis medulla ejusdem cum cerebro naturae ſit, infert inde, vulnera ejus non minus, quam cerebri, periculoſa eſſe, idq; tam intuitu originis, quam etiam ratione ſtructurae, nervorum, conſenſus, uſus atq; officii, ſitus imo ipſorum ſymptomatum ſupervenientium ratione.

§. XXX.

Hinc progreditur ordine ad determinandam lethalitatem venarum jugularium, aſperae arteriae, pulmonum, pericardii, cordis, diaphragmatis, venarum arteriarumq; majorum, hepatis, lienis, renum, veſicae, uteri, ventriculi, inteſtinorumq; nec non omenti illa operientis aliorumq; viſcerum ac partium, in ſingulis ventribus reperiundarum, adjunctis ubiq; ſolidis rationibus, earundem lethalitatem determinantibus. Agmen claudunt vulnera muſculi bicipitis, cubitum flectentis cum vulneribus nervorum atq; juncturarum ſeu articulorum.

§. XXXI.

Bernhardum Suevum ordine excipiat MELCHIOR SEBIZIUS, Argentoratenſis, Medicinarum Doctor atq; Profeſſor, MELCHIOR SEBIZIUS,

ARGENTORATENSIS. Comes Palatinus Caeſareus nec non *Reipublicae Argentoratenſis* Archiater, qui *examen vulnerum ſingularum corporis humani partium, quatenus vel lethalia ſunt & incurabilia, vel ratione eventus ſalutaria & ſanabilia*, nobis reliquit. Singulae, quae in hoc examine ventilantur, materiae, publice olim atq; ſolemniter in *Academia Argentoratenſi* ad diſputandum propoſitae ſunt, junctim dein editae publiciq; juris factae.

§. XXXII.

Placuit vero *Auctori* noſtro tractationem univerſam in *Prodromum* & *Examen* ipſum diſpeſcere. Et *Prodromi* quidem *tres* conſtituit *partes*; In quarum *prima* vulnerum nomenclaturas, ſignificationes varias, definitiones, differentias, ſubjecta & cauſſas efficientes expoſuit; In *altera* eorundem adjuncta, quibuscum complicata ſunt, declaravit, ac in *tertia* quaeſtiones aliquot enodare conatus eſt, nimirum: *Quot modis vulnera tum magna & gravia, tum lethalia dicantur? Quaenam ex illis curata facilia ſint & difficilia? Quae vero prorſus inſanabilia? Quam ob cauſam, quae lethalia non fuerunt, lethalia aliquando evadant? Quot & quae in vulneribus perpendenda, ut feliciter illa curari, eventus vere praeſagiri & Judex recte informari queat? Quae deniq; partes regenerari iterumq; uniri & conſolidari poſſint, quae non? &c.*

§. XXXIII.

Examen vero ipſum *duas* in *partes* partitus eſt *Sebizius*, in quarum *prima* vulnera partium ſimilarium, in *altera* vero illa diſſimilarium examinavit. Ad *has* retulit vulnera cuticulae, cutis, pingvedinis,

panni-

panniculi carnoſi, membranarum, muſculorum, glandularum, tendinum, ligamentorum, nervorum, venarum, arteriarum, cartilaginum ipſorumq; oſſium; Ad *has* vero vulnera omnium viſcerum atque partium ſingulis in ventribus contentarum reduxit.

§. XXXIV.

GODOFREDUS WELSCHIUS, LIPSIENSIS.

In eodem argumento exercuit ſeſe GOTTOFREDUS WELSCHIUS, Lipſienſis, Philoſophiae ac Medicinae Doctor hujusque in *Academia Lipſienſi* Prof. & Reipublicae Patriae Phyſicus Ordinarius. Reliquit enim nobis *Rationale vulnerum lethalium Judicium*, in quo *de vulnerum lethalium natura & cauſis, legitima item eorundem inſpectione ac aliis, circa hanc materiam ſcitu dignis juxta quam neceſſariis diſſeruit.*

§. XXXV.

Anſam, uti ipſemet in *Praefatione* loqui amat *Welſchius*, anſam, inquam, ſcribendi ex eo arripuit, quod neminem (quantum ipſe quidem ſciat) viderit, qui ex profeſſo, quod dicitur, & ſufficienter hac de re tractaverit publicoq; quicquam conceſſerit; Hinc ergo partium humani Corporis omnium, in quibus nempe *vulnera lethalia* contingere poſſunt, ſtructuram & fabricam recenſuit, quantum nempe ad praeſens negotium conferre videbatur, dehinc actionem cuilibet propriam uſumq; addidit & officium, ex quibus quippe omnibus lethalitatis cauſſas ſatis dextre ac firmiter colligi poſſe ratus eſt.

§. XXXVI.

Cum vero *vulnerum lethalium* (quo nomine *unitatis in parte humani corporis vel nobili vel ad vitam tamen ſimpliciter neceſſaria, a re externa violenter ſolvente continuum factam ſolutionem eamq; vel cum ipſa vitae jactura vel tamen cum ſummo illius diſcrimine conjunctam* intelligit) aliud cum vitae diſcrimine, h. e. ſummo ipſius periculo, aliud vero cum ipſa ipſius vitae jactura fiat & diſpendio: Hinc iſtud in *vulnus lethale, ſimpliciter* & *abſolute tale* & in vulnus *utplurimum* ſaltem *lethale* dividendum eſſe cenſet; Utpote ex quibus paucarum horarum vel dierum ſpatio moriuntur vulnerati & pereunt: Proindè duas *vulnerum lethalium* claſſes conſtituit, quarum *prior* vulnera partium nobilium & quatenus ea *ſimpliciter & abſolute lethalia*; *Poſterior* vero partium ad vitam ſimpliciter neceſſariarum vulnera, & quatenus ea *utplurimum* ſunt *lethalia*, continet, ſubjunctis circa finem Tractationis neceſſariis legitimae vulnerum *inſpectionis* requiſitis & ventilata curioſa quaeſtione de termino lethalitatis ad nonum diem ſeſe extendente, de quo *Conſtitutiones Criminales Caroli* V. Imperatoris Romanorum loquuntur, & indicatis *poſtremo capite* ſignis lethalitatis in iis, qui veneno extincti ſunt.

§. XXXVII.

JOHANNES BOHNIUS, *LIPSIENSIS.*

Inſtar omnium eſt, quodq; nocturna diurnaq; manu verſari meretur, JOHANNIS BOHNII, Lipſienſis, edocumatum opus *de renunciatione vulnerum lethalium, quod horum omnium formalitatem & cauſas tam in genere quam in ſpecie*

per

per ſingulas corporis partes exponit. Fatetur ingenue *in Praefatione*, non ideo difficile hoc opus adgreſſum ſe eſſe, quod ſibi aut aliis perſuadere praeſumeret, quaſi nemo unquam ante ipſum argumenti hujus examen in ſe ſuſceperit, aut publico quicquam in eodem conceſſerit; Quale quippe adſertum aut bonorum Auctorum ignorantiam craſſam aut jactantiam inanem oleret, ſed, ut aliis laborem hunc adcuratius enucleandum commendaret. Praeſtitit hoc ingenioſus *Auctor*, univerſum illud *renunciationum* opus *duas in ſectiones* diſpeſcendo, in quarum *priore* de *renunciatione vulnerum in genere egit*, in *poſteriore* vero ſingulas ſingularum partium laeſiones perluſtravit, ordine tali, qualem ipſa corporis ſtructura ſponte ſuggerebat, a capite nempe initium petendo, hinc ad thoracem & abdomen harumq; partium ipſorumq; artuum vulnera pedetentim progrediendo. Quae omnia ſolidis partim rationibus, partim vero obſervationibus ubiq; confirmantur. Ut adcuratius in hoc genere ſcriptum nec extet, nec forte deſideretur.

§. XXXVIII.

Ante triennium *Norimbergae* lucem publicam adſpexit ſcriptum vernaculum, cui hic praefixus eſt titulus: Vernünfftige Urtheile über tödliche Wunden nach deren Natur und Urſachen / auch was bey deren Beſichtigung und ſonſten zubeobachten? Ingleichen / welches die wahren Kennzeichen der Lethalität an denen ſeynd / ſo von Giffte geſtorben? Nebſt einer Einleitung de idea vulneris lethalis. Quam primum teutonicum hoc ſcriptum cum *Godofredi*

Welſchii rationali vulnerum lethalium judicio comparare coepi, protenus luce meridiana clarius adparuit, *Welſchii* tractatum ab *Anonymo* noſtro in idioma tantum Germanicum verſum eſſe. Diſcurſus tamen, qui de *idea vulneris lethalis* praemittitur, uti conciſa ſua brevitate commendat ſeſe omnibus; Ita ſimul valde adcuratum de *lethalitate vulnerum in genere* conceptum ſubminiſtrat.

§. XXXIX.

Verum haec praecepta cuncta longe luculentiora evadunt, ſi exemplis practicis & Reſponſis integrarum Facultatum vel Collegiorum medicorum confirmata ſpectentur: Quae res ſine dubio commovit alios, ut *Deciſa* iſta ſeu *Reſponſa Prudentum* undique magna cura atq; ſollicitudine conquirerent, ſicq; *in actu quaſi exercito* aliis conſpicienda praeberent: Quo in ſtudiorum genere *Paulus Ammannus* in medicina Critica, *Johannes Fridericus Zittmannus* in medicina Forenſi, *Bernhardus Valentini* in *Pandectis* & *Novellis Medico-Legalibus*, *Johannes Andreas Fiſcherus* in *Reſponſis* ſuis *Medico-forenſibus* & nuper demum *Fridericus Hoffmannus* in *Medicina Conſultatoria* aliis praeiverunt.

§. XL.

Superius verbo meminimus, *Paulum Ammannum*, Profeſſorem *Lipſienſem*, praeter *Jrenicon Numae Pompilii cum Hippocrate* edidiſſe quoq; *Medicinam Criticam* ſive *Deciſoriam*, quae continet centuriam caſuum medicinalium, in *Concilio Facultatis Medicae Lipſienſis* antehac reſolutorum, quam deinde in *Phyſicorum*, *Practicorum*,

Studio-

Studioſorum, *Chirurgorum* aliorumq; uſum primum collegit variisq; diſcurſibus *Auctor* auxit, tandem vero, *Ammanno* inſcio, in exterorum gratiam civitate latina donavit ediditq; *Chriſtianus Franciſcus Paulini*, Med. Doctor & Academicus Curioſus. Monet hic in *Praefatione*, quod ſilentio praetermittendum non eſt, *lethalitatem vulnerum* ab eo, qui fundamentis Anatomicis inſtructus rite fuerit, determinari facile poſſe, modo prius de laeſione ipſa & parte adfecta legitime conſtiterit. Adprobat dehinc receptam *lethalitatis* diſtinctionem in eam, quae *per* ſe, *abſoluta* & *neceſſaria* eſt, & in *lethalitatem per accidens*; De *vulneribus* vero, ὡς ἐπι το πολυ ſeu *ut plurimum lethalibus* tanquam inter vulnera *ſimpliciter* & *per accidens lethalibus* quaſi intermediis dubitat, num tam facile in negotio, ſangvinem humanum concernente, admitti queant? Mavult proinde *vulnera utplurimum lethalia* vulneribus *per ſe*, non *per accidens lethalibus* adnumerare; Quia 1) το *utplurimum* eſt figmentum Galenicum. 2.) Quia, ſicuti in Philoſophicis inter illud, quod *per ſe* & *per accidens* fit, nullum datur accurate tertium; Ita nec hoc in paſſu. 3.) Quia in communi *vulnera utplurimum lethalia* accenſentur *vulneribus actu lethalibus*; Quod 4) probat eventus, quoniam cito etiam interficiunt: Hinc 5) *vulnera actu lethalia* referenda ſunt ad *vulnera per ſe lethalia*; Quia 6) omne vulnus *actu lethale* eſt *per ſe lethale*. Aſt 7.) *vulnus per accidens* non eſt *actu lethale*, ſed potentia tantum, quatenus ex malo regimine lethale fieri poteſt. Ex quibus proinde omnibus *Praefationis* Auctor concludit: *Vulnera utplurimum*

lethalia non eſſe intermediae naturae inter lethalia per ſe & per accidens, ſed vulnera utplurimum lethalia vulneribus per ſe lethalibus eſſe accenſenda. Id Q. E. D.

§. XLI.

De natalibus *Medicinae Criticae*, quae unam tantum *caſuum Medico-Legalium* centuriam continet, in diſcurſu Praeliminari de *ſyncretismo medico* circa finem ingenue fatetur *Ammannus*, quod *Facultatis Medicae Concilio* in *Academia Lipſienſi* debeantur, utpote in quo haec *Reſponſa pro rei exigentia*, *ut* loquitur *Auctor*, *ſucceſſive prolata ſunt.* Hi proinde caſus pro fundamento ſubſternuntur, quos deinde *Ammannus* criticis diſcurſibus illuſtrat. Ita v. g. dum in *primo* ſtatim *caſu* in partus ſemeſtris *vitalitatem* & *legitimitatem* inquiritur, haec *Deciſionis* fundamenta in *diſcurſu primo* ſuper caſum & Reſponſum propoſitum ſubminiſtrat *Ammannus*; 1) Quaeſtiones circa partum, praeſertim in perſonis bonae fidei, eſſe admodum ſpinoſas, 2) Medicos, imo ipſas plane mulieres, utut ſatis ea in re peritas, ignorare verum conceptionis tempus; Atq; hinc 3) fieri poſſe colligit, ut v. c. mulier, quando duobus prioribus menſibus eſt ingravidata, ſe non putet eſſe gravidam, ac proinde, ſi ingravidationem inchöet circa tertium menſem, tunc pariet filium ſeptimo quidem menſe, juxta ipſius calculum, qui tamen revera eſt *partus nonimeſtris;* Et contra 4) putare poteſt mulier, ſe primis ſtatim duobus menſibus factam fuiſſe gravidam, in quo tamen falli poteſt, & hinc juxta computationem ipſius orietur

partus

partus undecim menſium, cum tamen ſaltem ſit novem. Ejusdem indolis utiles adnotationes etiam in reliquis propoſitis caſibus occurrunt, quae ſimilibus aliis forte occurrentibus eximiam plane lucem accendere poſſunt; Ut proinde *medicina Ammanni critica* omnibus ac ſingulis hoc nomine commendari mereatur.

§. XLII.

JOHANNES FRIDERICUS ZITTMANNUS.

Eosdem plane natales agnoſcit *Medicina Forenſis* D.D. JOHANNIS FRIDERICI ZITTMANNI, quae quippe nihil aliud continet, quam *Centurias* VI. *caſuum* rariorum, *deciſorum* ac *Reſponſorum medico-forenſium* ejusdem *Facultatis Medicae Lipſienſis*, quorum copiam ipſi fecerant haeredes pie olim defuncti D. D. *Chriſtiani Johannis Langii*, qui ejusdem *Facultatis* quondam Adſeſſor fuerat, & qui ſine dubio *Collectanea* iſta primum privatis ſuis uſibus deſtinaverat, quae deinde ab haeredibus *Langianis* cöempta praedictus *Zittmannus* digesſit publiciq; juris fecit. Neq; dubium eſt, quin Pharmacopoei, Chirurgi, Advocati, imo ipſi Medicinae Practici eximias plane utilitates ex hoc *Collectaneorum* opere ſint collecturi, illi praecipue, qui *caſus in terminis* quaerunt.

§. XLIII.

MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI, PROFESSOR

Neq; profecto alium ſibi finem praefixum habuit MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI, M. D. ejusdemq; in *Univerſitate Gieſſena* P. P. Ordinarius, qui *Pandectas* pariter ac *Novellas Medico-Legales*, ſive *Reſponſa medico-forenſia*, ex Archivis Academiarum

GIESSENUS. miarum celebriorum ſcriptisq; probatiſſimorum Medicorum deprompſit & exterorum gratia latinitate donavit; Una cum introductionibus generalibus, cuilibet claſſi praemiſſis: Quod ſane opus non JCtis tantum & Medicis ſed reliquarum quoq; Facultatum cultoribus valde proficuum & neceſſarium eſt.

§. XLIV.

Placuit autem *Valentino* hoc *Collectaneorum medico-legalium* opus *Pandectarum* nomine inſignire idq; eodem forte jure, quo JCti *Pandectas Juris* ex edictis Praetorum & Reſponſis JCtorum antiquisſimorum concinnarunt, idq; nominis *Pandectarum* ſine dubio iſtis *Collectaneis* ideo impertiverunt, quod, ſi non omnium, plerarumq; tamen, in foro occurrentium, quaeſtionum ſyllogen & conſpectum praebent. Eodem, inquam, ſi non majore jure, Integrarum *Facultatum Medicarum Reſponſa medico-legalia*, in unum quaſi faſciculum collecta *Pandectarum* nomine inſignivit *Valentinus*, quum, ſi non omnes, plerasque tamen in foro occurrentes *quaeſtiones medico-forenſes in actu*, quem vocant, *exercito*, complectantur & non uno, ſed complurium Sapientum votis confirmata ſint. Laudatur inprimis ab *Auctore* bonitas D. D. *Lucae Schroeckii*, D. D. *Petri ab Hartenfels*, Anteceſſoris *Erfordienſis*, D. D. *Schellhaſii*, Archiatri *Camerae Imperialis Wetzlarienſis* & D. D. *Weſtphali*, Phyſici *Delitienſis*, qui quippe omnes Reſponſa ſelectisſima ſponte conferendo ſymbolam ſuam huc adferre non ſunt dedignati.

§. XLV.

Verum, ut ad ſpecialiorem *Pandectarum Valentinianarum medico-forenſium* analyſin progrediamur, notandum eſt, bipartitum eſſe univerſum opus, prioremq; partem *ſeptem* diverſas *ſectiones* ſub ſeſe comprehendere, in quarum prima *Reſponſa Phyſiologica*, in altera *Pathologica*, in tertia *Semiologica*, in quarta *therapevtica*, in quinta *diaetetica*, in ſexta *pharmaceutica* & in poſtrema ſeu ſeptima *chirurgica forenſia* continentur. *Poſteriorem* partem, quae *ſeptem* iterum diverſis *ſectionibus* conſtat, judicia atq; deciſa de lethalitate vulnerum ſibi vindicant, ita quidem, ut *ſectione prima* de inſpectione vulnerum in genere, de perſonis ad inſpectionem requirendis, de diſſenſionibus & juramento inſpectorum, de juramento Chirurgorum ad inſpectionem vulnerum requiſitorum, de inſpectione ſepultorum aliisq; talibus argumentis diſquiratur; *Altera* vero *ſectione* vulnerum *capitis*, *tertia* vulnerum *pectoris*, *quarta* & *quinta* vulnerum *abdominis* & *artuum*, *Sexta* laeſionum *vaſorum majorum* lethalitas & *poſtrema* tandem *ſectione* varii curioſi caſus, *infanticidium* ſpectantes ad examen vocentur.

§. XLVI.

Quod *novellas medico-legales* ejusdem *Valentini* attinet, illae ad imitationem *Novellarum Juridicarum* ſunt conſcriptae, continentq; caſus quosvis ex *Medicina Forenſi* ſelectisſimos, ac reipſa nihil ſunt aliud, quam ſupplementum quoddam *Pandectarum*; Unde labore prolixius illas excerpendi, commode hic ſuperſedere poſſumus.

§. XLVII.

Johannes Andreas Fischerus.

Hujus quoq; loci ſunt D. JOHANNIS ANDREAE FISCHERI *Reſponſa medico-practica* & *forenſia*, ab anno 1706. usq; ad annum 1718. collecta & *Francofurti* ante triennium edita, quae ad illuſtrationem hujus, quod prae manibus habemus, argumenti non parum conferunt.

§. XLVIII.

Fridericus Hoffmannus. *Hallensis.*

Deniq; ad medicinam tam *clinicam* quam *forenſem* magis magisq; exornandam ejusdemq; pomoeria amplificanda nuper demum manum auxiliatricem conferre coepit FRIDERICUS HOFFMANNUS, Profeſſor *Hallenſis*, in *Medicina* ſua *Conſultatoria*, quae varia tam *Conſilia Medica* quam *Reſponſa Facultatis Medicae* continet. Comparuere hucusq; in Theatro Eruditorum tres *Medicinae* hujus *Conſultatoriae* partes, in quarum *prima*, quae iterum in *quinq; decades* eſt diſtributa, praemiſſa prolixa *Praefatione* de *eximio uſu obſervationum & conſiliorum medicorum*, varia tam *medico-practica* quam *legalia* comprehenduntur, & *caſu* quidem *primo decadis primae* communicatur *Reſponſum Facultatis Medicae circa indicia arſenici dati, deficiente tamen ſectione cadaveris; Secundus* ac *tertius* agunt de *infanticidio; Quartus* disquirit de homicidio ex adfectu melancholico; *Quintus* conſilium ſubminiſtrat patienti *colica ſpasmodica* adfecto; *Sextus* de *perpetrato veneficio* ſpeciem facti recenſet; *Septimus* iterum de *veneficio ex arſenico dato* agit; *Octavus* refert lethalitatem

litatem vulneris diaphragmatis raram; *Nonus* contra *mictum cruentum perquam rarum* conſilium medicum ſuppeditat; Ac deniq; *decimo caſu* adfectus quidam ſpasmodico-convulſivus una cum conſilio medico ſubminiſtratur: Quae omnia lectione non ſunt indigna.

§. XLIX.

Prius vero, quam hiſtoriae ſcriptorum, qui ad ditandam *Medicinam legalem* indefeſſam contulerunt operam, finem imponam, pauci eorum adhuc recenſendi ſunt, qui ſingulares tantum materias adcuratius ſibi evolvendas ſumpſerunt. Quos inter numerandus eſt JOHANNES CONRADUS BECKERUS, Philoſophiae ac Medicinae Doctor, nec non Serenisſimi Principis *Haſſo-Darmſtadini* in Tractu *Alsfeldenſi* Medicus Ordinarius. Is eſt *Auctor* tractatus medico-legalis de *ſubmerſorum morte ſine pota aqua*, qui ex propria experientia & principiis Mechanicis ſtrictim diſcriptus, prima vice Anno 1704. lucem adſpexit, Anno 1720. vero cum Praefatione *Wedelii*, Senioris, non fuſior ſolum correctiorq; redditus, & novis adjectis exemplis illuſtratus, ſed veris etiam ac infallibilibus factae & non factae ſub aqua ſuffocationis indiciis, methodo revocandi ſubmerſos cum veteri tum nova, longe auctior prodiit, qui proinde tractatus, cum non minus curioſitate novitateq; quam utilitate atq; jucunditate JCtis juxta ac medicis ſeſe commendet: Hinc aequum duxit *Wedelius*, ut ex merito eundem depraedicaret atq; quibuslibet Lectoribus de meliori commendaret.

JOHANNES CONRADUS BECKERUS, MEDICUS *ALSFELDENSIS.*

§. L.

Ut vero, quid iſtud rei eſſet, quod a novitate pariter atq; curioſitate tantopere commendat *Auctor*, plenius intelligat Lector, ſciendum eſt, diſputare illum tam experimentis *a poſteriori*, quam rationibus *a priori* contra opinionem antiquam & communi fere Doctorum conſenſu adprobatam: Nempe *vivos ſubmerſos multum neceſſario aquae pulmonibus ventriculoq; haurire, adeo ut, deficiente in ſubmerſorum cavitatibus aqua, mortis extra aquam aliunde illatae, demortuiq; in aquam abjectionis, probabilis inde naſcatur ſuſpicio.* Quae ſententia uti propemodum univerſali Doctorum conſenſu ſuffulta in foro obtinuit: Ita falſitatis eandem convincere ac proinde hoc *paradoxon* ſtabilire conatus eſt *Beckerus*: *Vivos ſubmerſos etiam ſine pota aqua morte defungi poſſe.* Quem in finem primum in cane, poſt in homine ſubmerſis animadvertit, ne quicquam aquae cavitates corporis ingreſſam eſſe, imo omnes potius aqua vacuas extitiſſe. Unde, quod antea adduxerat paradoxon, ſua ſponte claritate & evidentia corruſcare exiſtimat. In quibus tamen duobus experimentis minime acquievit *Noſter*, ſed illis deinde alias plures ſubjectorum humanorum tum ſectiones tum inſpectiones adjecit, in quibus vera atq; genuina ſigna adnotavit, quae de facta ſub aqua ſuffocatione certiſſime & infallibiliter decernerent, indicata ſimul vera ſuffocationis cauſa & ſubjuncta methodo revocandi ſubmerſos. Concluſio interim, quam ex cunctis hiſce non ſine debita circumſpectione inſtitutis experimentis elicuit, haec eſt: *Aquam*

ſub

ſub aquis pulmonibus ac ventriculo haurire, ejusq; hauſtu perire neminem: Petitum vero e pulmonibus ac inteſtinis aqua vacuis argumentum, ad negandam ſuffocationem ſub aqua, ad praeſumendam caedis ſuſpicionem temere adhiberi, utpote experientia & ratione infirmatum &c.

§. LI.

Et ſicuti hucusq; *a poſteriori* experimentis & obſervationibus ſatis demonſtravit *Auctor*, aquam nullam in pulmones, ventriculum & inteſtina hominum, qui vivi in aquas praecipitati fuere, ACTU ingredi: Ita nunc etiam *a priori* oſtendit, eam ne quidem illabi POSSE; Cujus rei rationes has potiſſimum allegat, quod *primum* laryngis aſperaeq; arteriae ſtructura illam non intromittat, *deinde* diaphragma ſub aqua in fornicem non redeat nec coſtae reſiliant, *adhaec* ipſa ſibi aqua obicem ponat, ac *deniq;* quod ultima inſpiratione copioſe hauſtus ac detentus äer, tanquam impoſitum praeſidium pectoris atq; abdominis cavitates occupavit, qui pulmones ſecundum omnes dimenſiones diſtendendo, iſtos thoracis cavitatem adimplere vicinasq; partes comprimere faciat, qui irruenti peregrino corpori occurrat ipſumq; tanquam inimicum aditu arceat.

§. LII.

Denique, ut, quibus *inſpectionis* negotium datum eſt, certius *de facta vel non facta ſub aquis ſuffocatione* judicium ferre poſſint, *Auctor* adhuc ſubminiſtrat indicia quaedam ex propria experientia deprompta, quaeq;

quaeque, ut ipſe loqui amat, in *ſubmerſis vivis* obſervavit oculatus. Iſtorum vero ſignorum ſeu indiciorum alia ipſi dicuntur *externa*, alia *interna*. Ad *illa* refert abdomen praetumidum ac protruſum, hypochondria elevata, ilia ad inguina usque diſtenta, thoracem usque adeo elevatum, ut ſcrobiculi cordis vix adpareat veſtigium: *Haec* vero, ſecundum *Auctoris* noſtri ſententiam, non niſi poſt apertionem viſuntur, ſuntque ventriculus expanſus, a coeteris viſceribus ac inteſtinis prominens prominendoq; diaphragma abſcondens, ejus poſt perforationem aut inciſionem tantum non momentanea ſubſidentia, colon ac reliqua inteſtina ad ilia depreſſa, diaphragma deorſum explanatum, pulmones admodum diſtenti aëreq; nudo repleti, ut thoracis cavitatem exacte & extenſe repleant, vaſcula ſangvifera turgidiuſcula referant, gutture inciſo ſibilum ſive flatum ſonorum edant, exeuntis aëris progeniem, eoque emiſſo ſubſideant & ipſi diſciſſi ſtagnantis ſpumoſi ſangvinis prodant indicia &c. In quibuscunq; itaque perſonis haec modo deſcripta ſigna non reperiuntur, eas extra aquam mortuas, deinde vero demum, ad celandum facinus, eo praecipitatas eſſe, ex dictis recte infertur: Nam *qui*, inquit *Auctor*, *mortui in aquam praecipitantur, iis nec pulmones aëre inflati ſunt, nec diaphragma explanatur, nec ventriculus expanditur ac prominet, nec colon cum caeteris inteſtinis deprimitur, nec abdomen tumet, niſi hoc temporis mora putredine fuerit corruptum* &c.

§. LIII.

§. LIII.

Easdem de morte aquis ſubmerſorum ſine pota aqua defungenda cogitationes ante *Beckerum* dudum fovit JOHANNES JACOBUS WALDSCHMIDIUS, Profeſſor *Marpurgenſis*, quas Decuria II. Anno VI. Obſ. CLIII. Miſc. N. C. de Anatome aquis ſubmerſorumhis verbis communicavit: *Hactenus creditum fuit, aquis ſubmerſos multum aquae deglutire, eamq; per tracheam quoq; admittere, atq; tales ex repletione mori: Verum, ſi attendere velimus, quid in campana urinatoria, in aquam immerſa, contingat, vix ultra marginem aquam admittente, facile erit determinare, aquis ſubmerſos non ex aquarum mole, ſed ob aëris defectum extingui; Nam ceſſante reſpiratione, ceſſat ſanguinis in circulum itus, ipſa autem reſpiratio vel in momento ſufflaminatur, cum nec aër egredi nec aqua ingredi posſit: Hinc in ſubmerſis ne guttulam quidem aquae in ventriculo aut in thorace reperire unquam licuit.*

JOHANNES JACOBUS WALDSCHMIDIUS, *WETTERAVIUS*, PROF. *MARPURGENSIS*.

§. LIV.

Fidem modo dictis majorem conciliare poſſunt binae ſectiones publicae aquis ſubmerſorum, unius nempe infanticidae & alterius foeminae, quae venefìcii convicta fuerat, a nobis haud ita pridem in *Theatro* noſtro *Anatomico* inſtitutae, in quarum utraq; nec in ventriculo & inteſtinis, nec in pulmonibus quicquam aquae repertum, e contra vero abdomen praetumidũ, hypochondria diſtenta & thorax admodum elevatus aliaq; jam à *Beckero* notata ſigna fuere animadverſa.

 Ut

Ut juſtas omnino cauſſas habuerit *Beckerus* veteri errori renunciandi, novamq; licet paradoxam ſententiam amplectendi. Neque obſtat *Beckero*, aliquot annis ante publice eandem hanc ſententiam propalaſſe ac propugnaſſe *Waldſchmidium*, cum ea nihilominus laus *Beckero* dubia reddi nequeat, quod nemo ante ipſum tanta rationum ubertate novum hoc argumentum ſit proſecutus.

§. LV.

CHRISTIANUS FRIDERICUS GARMANNUS.

Spectat huc obſervatio LXXXIX. Decur. I. ANNI VI. & VII. Ephemer. N. C. quae CHRISTIANUM FRIDERICUM GARMANNUM, Phyſicum *Chemnizenſem* auctorem habet, & reſponſionem continet de *aqua ſubmerſis* ad Praecell. D. D. Jöelis *Langelotti* Obſervationem XX. quam Dec. I. Anno VI. & VII. pag. 30. hoc titulo: *Rarae circa ſuffocationem ſubmerſorum hiſtoriae*; Benevolus Lector reperiet. Enarrantur nimirum ex *Langelotti* Obſervationibus binae hiſtoriae ſubmerſorum, altera *hortulani*, qui ſedecim horas, altera vero *mulieris*, quae tres dies ſub aqua delituit, & ambo nihilominus ſervati ſunt: Qua occaſione de cauſſis mirabilium horum eventuum ſic diſſerit *Garmannus*: *Qui improviſo caſu fluctibus merguntur, perterrefacti animi eclipſin incurrere poſſunt; Inde ſublata maximam partem reſpiratione, nec AQUA IN PULMONES ILLABITUR, & ita a ſuffocatione ad tempus praeſervantur. Probat id cum primis hortulani hiſtoria, qui a terrore & frigore ambiente rigidus*

(atta-

(attamen vivus) *erecto ſtans corpore, fuit inventus.* Conferri poteſt Obſervatio LXXV. D. *Godofredi Schubarti,* Practici *Bregenſis,* qui ſimiliter quidem in cauſſas ſubmerſorum ſub aquis viventium inquirit, ſed mea ſententia admodum a vero alienas adfert. Solidiora vero ſunt, quae obſervatione proxime ſequente de *ſubmerſis Suecicis* Anonymus quidam allegavit. Adde Obſ. CXXV. D. *Martini Vogelii* Dec. I. Ann. VI. & VII. Item Obſ. CXXX. D. *Georgii Segeri* Phyſici & Profeſſoris *Gedanenſis*, nec non Obſervat. CXCII. ejusdem Decur. ejusdemq; Anni, quae D. D. *Salomonem Reiſelium*, Phyſicum *Wormatienſem* auctorem agnoſcit.

§. LVI.

Aliud exemplum pueri 12. annorum aquis ſubmerſi, & tanquam mortui extracti, deinde autem vitae redditi, enarrat D. *Johannes Mauritius Hoffmannus*, Profeſſor *Altdorffinus*, qui licet per quartam unius horae partem aquis quaſi ſepultus fuerit, nihil tamen aquarum hauſit; Id quod inde clare patet, quod, cum tandem hora noctis undecima vomitu corriperetur, per illum non aqua abſorpta, uti nonnulli forte ſuſpicarentur, ſed ingens portio oleris inciſi & per fermentationem longiorem aciduli (Sauer-Krauts) in prandio quippe antea comeſti, fuerit rejecta.

§. LVII.

Plures alii memoratu digni caſus medico-legales hinc inde in *Ephemeridibus* N.C. ab Illuſtris hujus Collegii Sociis fuerunt adnotati. Singularem

ἀναφροδισίαν, ſoluti matrimonii cauſſam allegavit D. *Johannes Schmidius*, Phyſicus *Gedanenſis* Ordinarius Obſ. XCIV. Ann. VIII. Decur. I. Pueri maleficiati caſum memorabilem necnon de energumenis quaedam commentatus eſt D. *Roſinus Lentilius*, Phyſicus *Crailsheimenſis* Obſ. CL. Ann. II. Dec. II. & Obſerv. CXXXIV. Ann. VII. Dec. II. De molarum generatione atq; differentiis earundem prolixam diſſertationem ad D. D. *Georgium Wolffgangum Wedelium* transſcripſit D. D. *Johannes Jacobus Harderus*, Prof. *Baſileenſis* Obſ. CLXXXV. Ann. II. Dec. II. De coitu Diabolico, nunquam illum absq; veneficio eſſe, diſſeruit D. *Samuel Ledelius* Obſerv. VII. Ann. IX. Dec. II. Plures ad *medicinam forenſem* pertinentes quaeſtiones, quas *Ephemeridum N. C.* Conditores magno numero hinc inde enodarunt, brevitatis cauſſa nunc non attingo.

§. LVIII.

HIERONYMUS CAPIVACCIUS, *ITALUS.*

Non poſſum vero, quin ſcriptorum, qui notas virginitatis expoſuerunt, mentionem hic injiciam; Quem in locum merito referendus eſt HIERONYMUS CAPIVACCIUS, *Italus*, in cujus *operibus, quinq; ſectionibus* comprehenſis, & *prima* quidem, nempe *Phyſiologica ſectione* tractatus continetur, qui de ſignis virginitatis tam foeminae, quam maſculi agit. Quo ex Tractatu adparet, non in eo tantum, quod plerique alii fecere, laboraſſe *Noſtrum*, ut ſigna virginitatis foeminarum, ſed ipſorum plane maſculorum inveſtigaret.

§. LIX.

§. LIX.

Melchior Sebizius, Argentoratenſis.

Ejusdem argumenti, quod ſua ipſius jucunditate ſatis ſeſe commendat, dilucidationem ſuſcepit quoq; MELCHIOR SEBIZIUS, *Argentoratenſis*; Praeterquam enim, quod ſingularem diſſertationem *de diſcrimine corporis virilis & muliebris* ſcripſerit, ſeorſim quoq; diſſeruit de *notis virginitatis*, qui tractatulus cum *Severini Pinaei* opuſculo *Phyſiologico-Anatomico de notis integritatis & corruptionis virginum*, nec non *de graviditate & partu naturali mulierum* proſtat.

§. LX.

Johannes Beverovicius, Dordracenus.

Henricus Hoepfnerus.

Thomas Tigeon, Andegavenſis.

Huic jungendi ſunt JOHANNES BEVEROVICIUS, *Dordracenus*, & HENRICUS HOEPFNERUS, quorum *ille* ſuper loco Moſis de cruentato ſponſarum linteo aliisq; virginitatis ſignis, quaeſtionem proponit, ad quam *Balthaſar Lydius* reſpondet: Hic vero de *notis virginitatis* tractatulum reliquit. Addo THOMAM TIGEONEM, *Andegavenſem*, in ſuo *Antimaeologico*, quo contra ſententiam vulgarem demonſtrare conatur, obſtetricibus de virginitate, aut defloratione mulieris adulterae teſtimonium ferentibus, tantum fidendum non eſſe.

§. LXI.

Severinus Pinaeus, Camutenſis.

Majoris in hoc ſcriptorum genere auctoritatis a plerisq; habetur SEVERINUS PINAEUS, *Camutenſis, Magiſter Chirurgiae Pariſienſis*, qui duas *obſervationes phyſiologico-anatomicas*,

quo quippe titulo *Pinaeus* ipſe illas exornavit, nobis exhibuit, quarum *primam*, quae *de integritatis & corruptionis virginum notis* ſive de clauſtro virginali, quod *hymena* uno conſenſu omnes vocant, agit, plerique chymaeram eſſe putant, propter diverſam Autorum, qui de eo ſcripſerunt, opinionem; *Altera* vero *oſſium pubis ab invicem & oſſium ilium ab oſſe ſacro in partu naturali diſtractione* tractat; Qua ſua in opinione, licet a plerisque Neotericorum in dubium vocetur, tantam elucere ſinit fiduciam, ut non modo ad auctoritatem veterum, ſed & ad ſuam experientiam imo oculatam fidem plurimorum Doctisſimorum medicorum, ſua adhuc aetate ſuperſtitum, provocare auſus ſit.

§. LXII.

Miſſa autem hac vice obſervatione hac *poſteriore*, eam tantum, quae *notas virginitatis* exponit, excerpere vel ſumma potius capita tantum delibare nobis liceat. Et ratio quidem, finis atque ſcopus, qui *Auctorem* noſtrum ad elucidandam pulcram hanc, ſed ſimul difficilem materiem impulit, nulla fuit alia, quam ut utilem praeſtaret operam illis, quorum officium erat, eos ſublevare, qui Judicibus & Parentibus referre debebant de conformatione naturali aut vitiata pudendorum virginum aut nuptarum, quarum *illae* maximam vim a procis integritati ſuae, *hae* vero nullam a maritis aut ſaltem ſponſis imbecillioribus aut fatuis illatam eſſe conquererentur. Rem ipſam quod attinet, conſultum eſſe duxit *Auctor*, ut, dum *virginitatis puellarum notas* exprimere geſtiit,

corrupta-

corruptarum quoq; habitum declararet, ut hāc ratione aliae aliis oppoſitae vel juxta ſe poſitae, earum differentiae tanto certius innoteſcerent. Quanquam enim nonnullis, genitalia tam *integrarum* quam *defloratarum* foeminarum obiter inſpicientibus videri poſſet, in plerisq; convenire, in paucis differre: *Noſter* tamen, qui adcuratius harum partium ſcrutinium inſtituit, aliter ſentit, tantum nempe genitalia utrarumq; inter ſe differre, quantum *integritas* a *corruptione* diſtat; Sunt enim, ut *Auctor* loquitur, ſuae virginitatis notae, ſicut & corruptionis penitus contrariae. In virginibus, vult, obſervari florem perelegantem, in *corruptis* laceratum, dicti tamen floris foliola in his non amitti, imo, quamdiu vivit mulier, ſervari, ab invicem tamen diſtincta & valvarum more diſpoſita in his omnibus, quae nondum pepererе aut parvos foetus in lucem emiſerunt. In aliis vero, quae multos in utero geſtarunt foetus, valvas iſtas deleri praetendit, remanentibus tantum quatuor carunculis myrtiformibus, quae in orificio ſinus pudoris obturando uſum ſuum exhibeant. Deinde differentiam quaerit in orificio ſinus pudoris, quod in virginibus ſit tale, quale a natura efformetur; In mulieribus vero tale in poſterum, quale poſt deflorationem & corruptionem per coitum cum viris relinquatur, nempe dilatatum & lacerum: Quae deſcriptio, ut nemo non videt, obſcurior eſt, quam ut ab ullo alio, praeter *Pinaeum*, intelligi queat. Vix clarior eſt deſcriptio ſpecialis, quam de clauſtro virginali his fere verbis ſuppeditat: Praedictum nempe

virginum

virginum ſinus pudoris orificium eſſe in pendulae cujusdam productionis extremitate ſitum, quam circularis quaedam cavitas, ſita in ambitu radicis ejusdem, cingat, & hanc productionem partim carnoſae, partim membranoſae eſſe ſubſtantiae, eidem ſinui, ſuis corpore & cavitate multo anguſtioribus continuae, figurae rotundae, in extremo acutiori, unico foramine praeditae & latitudine ad ſummum unius medii tranſverſi digiti longae, quae idcirco extra nympharum multoq; minus labrorum pudendi oras, quibus undiq; circumſepta ſit, nunquam adpareat, ſed in medio foſſae, quam ſuperius inter genitalia mulierum deſcripſit, ſemper abſcondita maneat. Hanc particulam, ulterius adſerit *Auctor*, componi ex quatuor carunculis, myrti baccas referentibus, quae ſitae ſint tanquam in quatuor angulis dicti ſinus, in ſingulis videlicet ſingulae, membranoſae & rugoſae illius vaginae ſinus pudoris foeminarum, in quam in coitu membrum virile inditur. Atque has quatuor carunculas, ulterius ait, inter ſe ligare quatuor membranas carnoſas, quae ſingulae ſitae ſint in ſingulis interſtitiis carunculrum, quibuscum fere aequaliter protendantur. Tandemque dictam productionem, ex quatuor carunculis totidemq; membranis factam & in conum truncatum finitam germini roſæ vel ocello garyophyllato & lilio comparare non dubitat; Quam etiam ob rationem *flos virgineus* vocetur, qui ſi integer fuerit, & illæſus ſolus notam univocam & omnibus certiſſimam virginitatis praebeat; Ut alium praeter ipſum hyme-

hymenem quaerere, vanum ſit, quicquid etiam alii ſcripſerint. Ne quis tamen, productionem hucusq; deſcriptam in omnibus puellis uno eodemq; modo ſeſe habere ſomniet, provide ſubjungit: Quibusdam in virginibus carunculas & membranas eas conjungentes, eſſe nunc breviores nunc longiores, craſſiores aut tenuiores, quam in aliis, ſicut & orificium, quod in ejus extremo reperiatur, in quibusdam latius, in aliis anguſtius ſit; Unde major aut minor in primo concubitu difficultas oriatur. Deniq;, non ſua tamen, ſed aliorum ſententia, addit: Virginem non corruptam eſſe, ſi filum ei ab extremo naſo ad coronalis ſuturae medium & finem ſagittalis, per glabellum & frontem mediam extenſum, collum ejusdem puellae intra ſe comprehendere poſſit.

§. LXIII.

Econtra, laceratis *hymenis*, floris virginei nuncupati, membranis, ſi carunculae retrahantur ab invicem & diducantur, tunc virgines deturpatas ac defloratas eſſe, inq; ſtatum integritatis reſtitui nunquam poſſe, contendit. Addit praeterea, mulieres habere pudendorum labra levigatiora ſeu depresſiora, & pilos eorum ex cute erumpentes criſpos magis, quam virginum eſſe, atque eas, quae pepererunt, cutim ligamentoſam in parte poſtica orificii ſinus pudoris ſitam habere multo laxiorem, quae cutis laxitas quia ſemper foetis iisq; ſolis adeſt, foeturae ſignum univocum & aequivocum eſſet: Cui cutis epigaſtrii rugoſitatem adjicit, quam-

vis quibusdam illam non accidere, ſponte fateatur. Vereor autem, ne plerisq; haec *deflorationis* ſigna riſum moveant, cum ab omni probabilitate ſint aliena.

§. LXIV.

LUDOVICUS BONACIOLUS, *FERRARIENSIS.*

Neque majorem certitudinem ex LUDOVICI BONACIOLI, *Ferrarienſis*, libello de *formatione foetus* ad *Lucretiam*, *Ferrariae Duciſſam*, polliceri auſim; Is enim *virginitatis* notas ex hiſce aeſtimat circumſtantiis: Quod perlucidum iis ac tenue lotium, ſub ſtrepitu perinde atque acutiſſimo ſibilo, ut fiſtula impendio deductiore emicans longius admodum excutiatur. Quin & edoctae obſtetricis contuitu hymen (ſi caſta ſit) facile diſcernatur. Cruoris quoq; delectus indicio ſunt. Gagates etiamnum ſuffitus odoris ſpiramento fauces nareſque non attingente: Et potus ſi praeſentem mictum non cieat, virginitatem eximie deprehendit &c.

§. LXV.

JOHANNES WIERUS, *GRAVIENSIS.*

Pinaeo tandem ſubjungo JOHANNEM WIERUM, *Gravienſem*, *Cliviae Ducum* Archiatrum, qui, praeterquam quod de praeſtigiis Daemonum, incantationibus ac veneficiis multa curioſa retulerit, de *hymene* quoque obſervationem reliquit, quam *Medicarum Obſervationum rariorum libro primo* reperire licet.

§. LXVI.

ALPHONSUS a

De Partu plures ſunt, qui ex profeſſo egerunt. Pleniſſimum *de partu naturali & legitimo*

timo commentarium reliquit nobis ALPHONSUS a CARRANZA, *Hiſpanus*, in quo ſimul controverſiae Juridicae, Philologicae, Philoſophicae & Medicae diſcutiuntur, ad fori uſum & praxin adcommodatae. Agitur ſimul de partus Conceptione & formatione, de foetu in utero, de poſthumis, de conditione partus, expoſitione, deque ventre exſecto, tempore item partus vario, de partu abortivo, monſtroſo ac numeroſo, de ſuperfoetatione ac generatione ſuccubi; Cui propter argumenti ſimilitudinem Exercitationes *Caroli Hannibalis Fabroti*, Anteceſſoris *Aquis-Sextienſis*, de tempore partus humani & numero puerperii additae ſunt. CARRANZA *HISPANUS.*

§. LXVII.

Speciatim vero *de partu ſeptimeſtri* ex antiquis egerunt HIPPOCRATES & GALENUS. Quid *ille* de *partu ſeptimeſtri* ſenſerit, id partim ex ſpeciali libro, quem de *partu ſeptimeſtri* reliquit, partim vero ex *libro de diaeta* in *Hiſtoria Medicinae Univerſali Periodo quinta* §. XXIX. pluribus a nobis adductum eſt: *Hic* in tractatulo *de partu ſeptimeſtri* nihil ferme agit aliud, quam ut ſententiam *Hippocraticam* uberiore tantum explicatione illuſtret, idem caeteroquin cum *Hippocrate* ſentiens, cui in eo inſuper adſtipulatur, quod foetus *ſeptimeſtres* vitales eſſe poſſint, *octimeſtres* non item. HIPPOCRATES. GALENUS.

§. LXVIII.

Praeter *Hippocratem* & *Galenum* alii quoq; ſunt, qui de *partu ſeptimeſtri* egerunt, HIE- HIERONYMUS

CARDANUS, MEDICUS BONONIENSIS.

RONYMUS CARDANUS, Profeſſor Medicinae *Bononienſis*, in dictos *Hippocratis* Libros de *ſeptimeſtri* & *octimeſtri* partu & ſimul in eorum *Galeni* commentaria ſcripſit commentarios. Quo eodem in argumento, commentariis nempe illuſtrando praefatos *Hippocratis* libros ſeſe quoq; exercuit THEODORUS ZWINGERUS, *Baſileenſis*. Quibus FERDINANDUS MENA jungendus eſt, qui de *partu ſeptimeſtri* ſingularem tractatulum conſcripſit; Quam eandem materiam ſibi enucleandam elegit JOHANNES CONRADUS AXTIUS, *dialogo de partu ſeptimeſtri*, in quo diſquirit: An ille perfectus, vegetus & per conſequens legitimus ſit? Adde commentarium JOHANNIS LALAMANTII, *Hedui*, in eosdem *Hippocratis* libros de *partu ſeptimeſtri* & *octimeſtri*, cui etiam expoſitio ejusdem accenſeri poteſt, quibus menſium ſolarium lunariumq;, anni item Ægyptiaci, Arabici, Perſici, Hebraei, Attici nec non Romani ratio ita ponitur ob oculos, ut de mora partus in utero & de menſium Graecorum exterarumq; & principum nationum cum Latinis collatione certi quid & haberi poſſit & ſtatui.

THEODORUS ZWINGERUS, BASILEENSIS.

FERDINANDUS MENA.

JOHANNES CONRADUS AXTIUS.

JOHANNES LALAMANTIUS, HEDUUS.

§. LXIX.

MATTHAEUS CURTIUS.

Praeterea notum eſt MATTHAEI CURTII, *Ticinenſis Itali*, conſilium de *Partu ſeptimeſtri*, quod inter opuſcula ejus de doti-

bus

bus tractationis medicinalis inſcripta extat. us, *TICII*
Referri huc ſuo jure poteſt LUCAS GAU- *NENSIS.*
RICUS, *Neapolitanus*, qui & generatim de *ITALUS.*
conceptu natorum & ſpeciatim de *partu ſeptimeſtri* tractavit.

§. LXX.

De *partu octimeſtri* a quam plurimis quoq; ſeorſim actum eſt. Quid *Hippocrates* de illo ſenſerit, in *Hiſtoria Medicinae Univerſali* loco ſuperius allegato dictum fuit; Ejus nempe decreta de illis pleraque ſunt funeſta; *Octimeſtrium ſcilicet fieri non poſſe, conſervetur ut ullus;* Et alibi: *Foetum octimeſtrem nunquam ſuperſtitem eſſe;* Frivolas tamen ob rationes, quas loco citato pluribus examinavimus: Quo tamen non obſtante complures tam antiquis quam recentioribus temporibus nactus eſt ſectatores, *Avicennam*, *Fracaſtorium*, *Valleſium*, *Mercurialem*, *Capivaccium*, *Mercatum*, *Laurentium* aliosq;, quorum omnium ſcripta de hoc argumento prolixius recenſere nihil attinet, cum illorum plerique ab *Hippocratis* decreto ne latum quidem unguem recedant.

§. LXXI.

Praeterea vero de natura *partus octimeſtris* cumulatiſſime diſputavit BERNHARDINUS CAJUS, *Venetus*, nec non THOMAS GIANNINIUS, *Ferrarienſis*, qui inprimis in cauſſas infelicitatis hujus partus, uti & ſtigmatum, quibus foetus ſubinde in utero materno obſignantur, inquiſivit. Communi vero opinioni fortiter ſeſe oppoſuit

BERNHARDINUS CAJUS, *VENETUS.*

THOMAS GIANNINI.

US, FERRARIENSIS. *Federicus Bonaventura, Urbinas;* Unde de natura *partus octimeſtris* Libros X. conſignavit, in quibus de partus humani natura abſolutiſſimam tradidit cognitionem; Idemq; prae aliis magna ſtyli venuſtate nec minori argumentorum pondere praeſtitit CAROLUS DRELINCURTIUS, *Caroli* filius, Regis Galliarum Conſiliarius & medicus ordinarius, nec non apud Celſiſſimum Principem *de Turenna* Caſtrenſis Archiater in *Diatriba de partu octimeſtri*, cujus ille *vitalitatem* non auctoritate modo probavit & experientia ſtabilivit, ſed & ex ipſa ratione variis argumentis evicit.

CAROLUS DRELINCURTIUS, *CAROLI FILIUS.*

§. LXXII.

Fundamenti loco ſuppoſuit & auctoritate *Plinii*, *Ariſtotelis* ipſiusq; *Hippocratis* communivit *Drelincurtius*, *omnes animantes praeſcripta partus tempora, ſolum hominem indiſcreta & confuſa habere;* Unde conficit: *Octimeſtrem partum* vita beandum ſupinumq; eorum errorem redarguendum eſſe, qui, qua itur, iverunt, non qua eundum eſt, tritamq; credulitatis & fallaciae plenam de *octimeſtrium* infortunio ſemitam calcarunt. At vero non auctoritate ſola, quae quippe per ſe ignava eſt ac iners, vulgarem ſententiam oppugnat *Noſter*, ſed momenta quoque rationum non contemnenda adducit, ad *vitalitatem* partus octimeſtris commonſtrandam. Itaque primum ſecundum ea, quae paullo ante de vario partionis humanae tempore a nobis allegata ſunt, quaerit? Cur brutorum animantium praefinita ſit regularisq; pariendi periodus, quae nec

decurte-

decurtetur, *niſi morboſe vel illata vi*, nec protollatur? At mulierum partus varient a principio intrinſeco, nec morbido nec violento? An dicendum, bruta periodicis anniverſariisq; amorum incentivis & igniculis incendi, adeoq; pactis legibus parere? Hominem vero, nec praefinito nec annuatim, ſed indefinite, totiusque anni decurſu laſciviae ſtimulatum oeſtro, diſſolutam & intempeſtivam venerem exercere? Illoque ſuo concubitu intempeſtivo & inopportuno naſciturae ſibi prolis, *alioquin praeſtitutas ſtatasq; periodos* accelerare, infantemque praemature evocare? Verum reſpondet *Noſter:* Modicum coïtum nec foetui nec foetae ullum adferre detrimentum.

§. LXXIII.

An potius inſatiabilis mulierum ingluvies accuſanda? Obſtant vero numeroſa picantium gravidarum exempla, quibus nec aſſumtorum quantitas, nec qualitas ullum attulit nocumentum. Alias ergo variorum partus humani temporum rationes quaerendas eſſe, *Drelincurtius* exiſtimat; Earumq; primam petit a qualicunq; analogia, quam animalia habeant cum vegetabilibus; Uti enim nonnulla illorum citius creſcunt, alia ſerius adoleſcunt: Ita humanum quoq; genitale ſperma aut temporius provenit, aut tardius ſoboleſcit; Unde alios menſe *ſeptimo*, alios *octavo* & ad initia *decimi undecimiq;* in lucem prodire publicam cum *Plinio* defendit; Ut proinde ſic concludat *Noſter*: Si maturitas eſt fundamentalis cauſa partus naturalis & vitalis; Sequitur, *octimeſtrem* partum pariter

pariter *vitalem* fore; Quia non modo per ſe maturus eſt, ſed & *ſeptimeſtrem* integro menſe maturitate ſuperat. Majus itaq; conſummatiusq; robur nactus erit proindeq; validior ac potiori vita donatus cenſendus: Quia ſolidioribus, compactioribus ac ulterius formatis eſt artubus, caloremve natura ſua intenſiorem & extenſiorem habet. Deinde non immerito quaerit *Noſter*: A quo principio, quae *ſeptimeſtri* innata eſt *vitalitas*, ceſſet *octavo*, quae *nono* redintegretur atque reſurgat? Quid pacatae iſtius vitae curſum abrumpat, ac tantam necis cauſam irrevocabilem interponat? Quod cum rationi conſonum *Noſtro* minime videatur; Hinc in *altera diatribes parte* tria rerum momenta, quae vulgo, ſed ſine ſufficienti fundamento ſupponuntur, confutanda in ſe ſuſcepit, quorum *primum* eſt; *Foetum omnem* ſeptimo menſe inordinatius ſeſe exagitare; *Alterum* eſt: *Moveri tunc ad exitum ſibi parandum.* Ac *tertium* deniq; eſt: Commotione *tanta debilitari in tantum, ut ſeminex eam reipſa incurrat.* Nec dubitamus nos, adcurati confutatoris vicibus *Drelincurtium* hic perfunctum eſſe.

§. LXXIV.

Circa *legitimum naſcendi tempus* non minus variae inter Medicos controverſiae fuerunt agitatae, quae deinde variis quoque ſcriptis de hoc argumento edendis anſam ſuppeditarunt, quorum tamen titulos & ſummos quaſi apices, brevitati ſtudentes, tantum exhibebimus.

§. LXXV.

§. LXXV.

Incertum eſſe *partus humani* tempus, duobus libris demonſtrare adniſus eſt HORATIUS AUGENIUS *a Monte Sancto*, qui Medicinam tam *theoreticam* quam *practicam* variis in ſcholis Italiae cum adplauſu docuit. Similiter MATURINUS MONTANUS, *Petragoricus*, genialium dierum commentarios in praeclarum *Julii Pauli* Reſponſum *Lib. ſept. menſe ff. de ſtatu hominum* edidit, in quibus non ſolum varietates temporum humani partus, ſed etiam cauſſas philoſophicas explicuit: Cur ſoleant eſſe partus ad naſcendum variis temporibus perfecti?

HORATIUS AUGENIUS *A MONTE SANCTO.*

MATURINUS MONTANUS.

§. LXXVI.

Praeterea *de naſcendi tempore* diſputationem *Wittebergae* habuit ALBERICUS GENTILIS. Duas quoq; exercitationes de tempore partus humani reliquit CAROLUS ANNIBAL FABROTUS, *Aquiſextienſis*. Et JOHANNES COSTAEUS, Gallus, qui variis in Academiis *Italiae* Profeſſorio munere perfunctus eſt, de humani conceptus, formationis, motus ac partus tempore diſſeruit. Quibus HENNINGI ARNISAEI disquiſitiones de *legitimis partus humani terminis* adhuc addimus.

ALBERICUS GENTILIS.

CAROLUS ANNIBAL FABROTUS.

JOHANNES COSTAEUS.

HENNINGUS ARNISAEUS.

§. LXXVII.

Sicuti autem de genuino *partus humani* tempore inter ſeſe controvertere vidimus Medicos: non

Ita non minus de vero *animationis* foetus termino ſerram diſputationis inter ſe reciprocare ſolent; Quam controverſiam ad liquidum tandem deduci, ideo optamus, quia alias in ambiguo verſantur JCti, quamnam poenam iis decernere debeant, qui malitioſe, frivole ac doloſe primis geſtationis menſibus abortum gravidae procurare audent.

§. LXXVIII.

LUDOVICUS GARDINIUS. Ventilavit hanc quaeſtionem de *animatione foetus* LUDOVICUS GARDINIUS, in qua oſtendit, animam rationalem ante organizationem corpori non infundi.

THOMAS FIENUS. THOMAS FIENUS, *Antwerpienſis*, de formatione foetus librum conſcripſit, in eoq; oſtendit, animam rationalem tertio a conceptione die corpuſculo embryonis infundi; Acceſſit deinde *liber ſecundus*, in quo prioris doctrina plenius examinata ac defenſa fuit. Cumq;, ut cogitari facile poteſt, circa opinionis hujus ſingularitatem lis ipſi moveretur, pro ſua, de animatione foetus, tertia die facta, opinione, adverſus *Antonium Ponte Sancta-cruz*, olim primarium Profeſſorem *Valliſoletanum*, deinde vero Regis *Hiſpaniarum* medicum cubicularium & Protomedicum generalem apologiam ſcripſit.

FRANCISCUS VERDE. FRANCISCUS VERDE ingenuas de animationis foetus tempore obſervationes conſignavit.

FORTUNIUS LICETUS. FORTUNIUS LICETUS de ortu animae humanae pariter quidem tres libros reliquit, ſed multis ſingularibus opinio-

nibus

nibus refertos, quo eodem modo in reliquis ſuis ſcriptis ſeſe quoq; geſſit, uti inprimis ex tractatu de *animarum coëxtenſione corpori* adparet, in quo ex rei natura, (conſulto tamen ubiq; *Ariſtotele*) demonſtrare auſus eſt, animam tum *vegetalem*, tum *ſentientem*, tum *rationalem*, ſubdito ſibi corpori toti cöextendi, ac in omnibus ejus particulis ſigillatim ſuam habere eſſentiam omniquaq; diffuſam, nullamq; animam in ulla viventis corporis particula, quantumvis principe, velut in ſuo domicilio totam contineri, quicquid cum *Platone* pleriq; paſſim opinentur. Cumq; facile ſubodoraretur, hoc modo accuſari ipſum poſſe, quaſi pravas foveret cogitationes de interitu & corruptione animae cum corpore: Hinc Anno 1629. de animarum rationalium immortalitate Libros IV. conſignavit, qui *Patavii* in folio prodiere.

§. LXXIX.

Eadem propemodum fata expertus eſt DANIEL SENNERTUS, *Uratislavienſis*, artis Medicae in *Academia Wittebergenſi* Profeſſor Publicus; Qui cum animas a Parentibus in liberos mediante ſemine traduci ſtatuiſſet, crimen blaſphemiae & haereſeos a *Johanne Freitagio* ipſi quidem intentatum eſt, ejus tamen defenſionem in ſe ſuſcepit *Johannes Sperlingius*, qui tractatum phyſico-medicum de origine formarum ejusq; apologiam pro *Daniele Sennerto* contra *Johannem Freitagium* conſcripſit.

DANIEL SENNERTUS, *URATISLAVIENSIS.*

§. LXXX.

JOHANNES ZEISOLDUS. MUNDINUS MUNDINIUS, *VICENTINUS.*

Reſtant in hoc ſcriptorum genere commemorandi JOHANNES ZEISOLDUS & MUNDINUS MUNDINIUS, *Vicentinus. Ille* de natura ſeminis librum concinnavit, in quo illam potiſſimum controverſiam, *an ſemen actu animatum ſit*, ventilavit, & negativam ex affirmantium hypotheſi atq; conceſſis probavit, & ad eorundem objecta reſpondit: *Hic* vero diſputationem, tres in partes diviſam habuit, in qua ea, quae inter *Peripateticos*, Medicos veteres & Neotericos quosdam de ſemine controverſa ſunt, diſcuſſit. Aliquot annis poſt aliam edidit diſputationem de genitura, pro *Galenicis* adverſus *Peripateticos* & ſuae aetatis Philoſophos ac Medicos, in qua nova dogmata, ſpectantia praeſertim ad foetuum generationem, ſimilitudinem, morbos haereditarios, notas corporis, facultatem formatricem, calidi nativi animarumq; corruptibilium originem confutavit, nec non animationem ſeminis adverſus Recentiores conſtanter defendit. Acceſſit tandem ad diſputationem de genitura *additamentum apologeticum*, in quo *Æmilii Pariſani* opinionem, *de ſeminis proventu a toto* & de ſtigmatum causſis ab omni probalitate alienam eſſe, ſuſtinuit.

§. LXXXI.

Subinde circa *conceptionem* ejusdemq; indicia in foro dubia quaedam enaſcuntur; Quo proinde de argumento, nec non de maris foemineique partus ſignifi-

ſignificatione egit LUDOVICUS BONACIOLUS; Cui jungendus eſt JOHANNES LONAEUS, *Boſcius*, qui in *Academia Ingolſtadienſi* de conceptu humano atque foetus corporatura, incremento, animatione, mora in utero & nativitate, quibus etiam de daemonum concubitu theſes quaedam ſunt adjunctae, diſputationem habuit.

LUDOVICUS BONACIOLUS.

JOHANNES LONAEUS BOSCIUS.

§. LXXXII.

De *ſuperfoetatione* & *ſuperfoetantibus* praeter *Hippocratem*, cujus ſententiam alibi retulimus, LUCAS TOZZUS egit.

LUCAS TOZZUS.

§. LXXXIII.

Nonnunquam rogantur Medici, ut cauſſas exoſae ſterilitatis, in perſonis potiſſimum Illuſtribus exponant; Qua in re viam ipſis praemonſtravit RODERICUS a CASTRO, *Luſitanus*, in abſolutiſſimo opere de univerſa mulierum medicina, quale ante ipſum nemo alius tentaverat, in quo quippe, praeter alia de ſexu ſequiori ſcitu ſumme neceſſaria, varias ſterilitatis cauſſas, ſpecies & ſigna enarravit.

RODERICUS a CASTRO, *LUSITANUS*.

§. LXXXIV.

De cauſſis ſimilitudinis ac diſſimilitudinis in foetu reſpectu Parentum diſputavit GREGORIUS HORSTIUS, Senior, *Torgenſis*, quae diſſertatio ſeorſim prodiit, eidemque annexa eſt reſolutio quaeſtionis de diverſo

GREGORIUS HORSTIUS, SENIOR.

TORGENSIS. partus tempore, inprimisq;, quid de *ſeptimeſtri* & *octimeſtri* partu ſentiendum ſit?

§. LXXXV.

AMANDUS POLANUS à POLANSDORFF. Quaeſtionem; An liceat Chirurgo, ſalva conſcientia, foetum educere viventem e matre, ut haec ſervetur, epiſtola quadam medica reſolvit AMANDUS POLANUS à *Polansdorff*, quae cum *Guilielmi Fabricii Hildani* centuria prima epiſtolarum extat.

§. LXXXVI.

JOHANNES COMBACHIUS. JOHANNES BOKELIUS. HECTOR ZOLLIKOFFERUS. *Philtrorum* ſeu poculorum amatoriorum vim qui explicuerunt, ſunt JOHANNES COMBACHIUS & JOHANNES BOKELIUS, quorum uterq; tractatum de philtris reliquit, in quo diſquiritur: Utrum animi hominum his commoveantur nec ne? Idem tamen argumentum tractavit etiam HECTOR ZOLLIKOFFERUS, *Sancti Gallenſis*, in Diſputatione, quae *Decade ſexta* Diſputationum, a *Johanne Jacobo Genathio* collectarum extat. Parum profecto praejudicio vulgari is tribuit; Difficile enim eſt, ſibi perſvadere, ejusmodi philtris vim quaſi magicam ineſſe, ut ſine omni προαιρέσει, magica neceſſitate, nolens volens, cogatur quis eam ipſam amare perſonam, a qua philtrum, v. g. ſangvis menſtruus, epotandum fuit exhibitum; Primo enim ſuperſtitioſae credulitati vulgi repugnare videtur experientia; Deinde non immerito dubitatur, an in ſanguine mulierum menſtruo ejusmodi amoris illices delitеſcant, cum non

pauca

pauca in contrarium adferri poſſint experimenta, & inter eos, quibus poculum amatorium propinatum fuit, alii in veſaniam & extremam rabiem conjecti, alii triſtitia & moerore conſumpti, miſere tandem, brutorum inſtar, perierint: Quibus obſervationibus ipſa quoqve ratio *a priori* non difficulter adſtipulatur. Unde tandem concludit *Zollikofferus*: Toti huic negotio nihil aliud, quam inanem credulae plebeculae perſvaſionem ſubeſſe.

§. LXXXVII.

Similiter admodum fabuloſae videntur eſſe traditiones tam Philoſophorum & Medicorum, quam ipſorum quoque JCtorum, qui ex *cruentatione cadaverum*, hominum nempe violenta morte peremptorum, quae praeſente occiſore fieret, indicium aliquod contra occiſorem deſumi poſſe exiſtimarunt; Quos inter ANDREAM LIBAVIUM, & FRANCISCUM VALLERIOLUM referimus.

ANDREAS LIBAVIUS, *HALLENSIS.* FRANCISCUS VALLERIOLA.

§. LXXXVIII.

Andream Libavium, *Hallenſem*, quod attinet, ſcripſit is duos tractatus phyſicos, quorum prior de impoſtoria vulnerum per unguentum armarium ſanatione *Paracelſicis* uſitata commendataq; ; Poſterior vero de cruentatione cadaverum, injuſta caede factorum, praeſente, qui occidiſſe dicitur, agit. *Franciſcus vero Valleriola* ſive *Variola* ab aliis dictus, qui *Auguſtae Taurinorum* Profeſſione Publica in arte medica

perfun-

perfunctus eſt, libris Obſervationum ſuarum Medicinalium aliquam inſeruit, quae de *cadaverum cruentatione* tractat. Atq; eandem hanc materiam in tractatu de *officio medici forenſis* attigit quoq; JOHANNES BOHNIUS, Profeſſor *Lipſienſis*, cujus jam aliquoties in hac introductione perhonorificam fecimus mentionem. Verum is fabuloſis narrationibus ea omnia, quae ſive a Medicis, ſive a JCtis hac de cruentatione relata ſunt, adnumerat, cum inſuper duplici experimento concutere ſe illa poſſe, fidem nobis faciat.

JOHANNES BOHNIUS.

§. LXXXIX.

JOHANNES FRIDERICUS WERDENBERGIUS. HORATIUS AUGENIUS. JOHANNES BAPTISTA SYLVATICUS. ANDREAS CAESALPINUS.

Signa *intoxicationis* non pari omnia certitudine gaudent, ſed ſubinde meris tantum conjecturis nituntur. Ex profeſſo de ſignis veneni intra corpus ſumpti & fraudibus empiricorum circa aſſumpta venena in epiſtola quadam egit JOHANNES FRIDERICUS WERDENBERGIUS; Sparſim vero, plures ſunt, qui ſuis in ſcriptis eorum mentionem injecere, uti ſunt HORATIUS AUGENIUS, JOHANNES BAPTISTA *Sylvaticus*, ANDREAS CAESALPINUS aliique.

§. XC.

Denique ſilentio hic, licet commodius forte ſupra commemorari potuiſſet, praetermitti non debet, quod novae editioni *Circuli Anatomico-Phyſiologici* D. D. *Bohnii*, quae Anno

MDCCX.

MDCC X. lucem adſpexit publicam, appendicis loco adnexae ſint binae *Diſſertationes medico-forenſes*, quarum altera de *infanticidio*, altera vero de vivis mortuisque aquae ſubmerſis, ſuſpenſis ac vulneratis agit. Quod *priorem de infanticidio* recens nati attinet, recte monet *Auctor*, duo in diſquiſitionem venire poſſe, nimirum, *num vivus mortuusve partu is fuerit excluſus?* Et, *num vere enecatus fuerit?* Seu, an modus, quo interemptus creditur, neci inferendae ſit adaequatus? Idque nullam aliam ob cauſſam, quam ut de corpore delicti plenius conſtet. *Prius*, ut exiſtimat *Noſter*, ideo noſſe opus eſt, quod prima & crebrior infanticidarum obſervetur exceptio, foetum in utero vel ſub enixus conatibus expiraſſe, ſeu mortuum fuiſſe editum: *Poſterioris* vero indagatio vel ideo aliquando exigitur, dum miſerae quaedam (aut ex vitae taedio aut ex amentia) criminis inſontes, ejusdem ſe accuſare illudve fateri, Collegia JCtorum haud latet, quas circumſpectior nihilominus inquiſitio, tale quid minime perpetraſſe, poſt prolixiores demum ſuperatas difficultates, docet. De quo utroque momento in hac Diſſertatione *Bohnius* ediſſerit.

§. XCI.

Quoad *poſteriorem* harum Diſſertationum, quae *de vivis mortuisve aquae ſubmerſis, ſuſpenſis ac vulneratis* agit, merito monet *Auctor*, contingere, ut aliquando dubitetur 1.) de homine ex aqua protracto, an in illam vivus vel mortuus fuerit demerſus? 2.) De ſuſpenſo reperto, vivusne an mortuus fuerit ſuſpenſus? 3.) De vulnerato, num vivo mortuove inflicta

fuerit plaga? Harum enim quaeſtionum disquiſitio ad Medicos ſubinde devoluta, cum determinationis aliquando ſatis arduae ſit, & ex phaenomenis in cadavere conſpicuis non adeo facile eruendae, grates non vulgares *Bohnio* noſtro debentur, quod adcuratiorem earum ſolutionem in ſe ſuſceperit: Siquidem variis dum artibus nefarii homines crimina ſua celare contendunt, non mirum eſt, infinitas fraudes eum in finem illos fingere, ut Magiſtratum, illorum vindicem fallant, quibus tamen diſcutiendis ars medica aliquando quidem praeſto eſt, interdum vero vix ſufficit. Meretur itaque utraq; *Bohnii* Diſſertatio, ut attentius a quovis legatur ac perlegatur.

§. XCII.

Neque poſſum, quin *Conſtitutionibus Criminalibus* Caroli V. Imperatoris Romanorum, in quibus quippe non pauca *Medicinae Legalis* Specimina occurrunt, locum plane eminentem hic concedam, inprimis, cum baſin quidem *Juris Criminalis* conſtituant, & interea tamen non paucas Deciſiones complectantur, quae nulli alii fundamento, quam praejudiciis imo falſis opinionibus Veterum ſive Philoſophorum ſive Medicorum nituntur. Pertinent vero ad huncce noſtrum cenſum Artic. XXXIII. qui indicia legitima homicidii clandeſtini profert, item Artic. XXXV. & XXXVI. qui de indiciis *infanticidii* ſeu partus clam a Matre enecti agunt, nec non Artic. XXXVII. qui veneficii indicia ſuggerit. De magiae indiciis tractat artic. XLIV. Quid agendum, ſi venefici-

neficium quis fateatur, item, quae magiae ſortilegiique reum interrogari oporteat? Id artic. L. & LII. declaratur. De poena magiae, veneficii & ſtupri per vim illati, diſponunt articuli C IX. & C XIX. Quae itidem poena ſit irroganda matri, quae infantem ſuum occidit, item illis, qui abortionum dant cauſam, quiq; mortem ſibimetipſis conſciſcunt, id quidem definiunt articuli CXXXI. CXXXIII. & CXXXV. Quid faciendum, ſi vulneratus moriatur, & qua ratione indagandum, utrum vulnus morti cauſam dederit, nec ne? Illud art. CXLVII. exponit. Quid deceat obſervare circa cadaver occiſi ante ſepulturam inſpiciendi? De eo diſponit art. CXLIX. Quomodo verſandum cum illis, qui per aetatem, furorem aut aliis de cauſis deliquerunt, ſancivit art. CLXXIX. Et ſic de pluribus aliis caſibus, quos Medici cum JCtis communes habent, Dicta *Conſtitutione* Imperatoria decernitur.

§. XCIII.

Quia vero complures praedictorum articulorum ingenti ſubinde obſcuritate laborant, atq; ut paullo ante monitum, praejudicatis veterum medicorum & Philoſophorum opinionibus innituntur: Hinc non pauci Celeberrimorum JCtorum commoti fuerunt, ut *Conſtitutiones* haſce *Criminales* ſuis commentariis illuſtrarent, id quod tanto magis neceſſarium haberi utiq; debebat, quia non de glande forte legenda, ſed de vita, ſanguine, fama & exiſtimatione nec non de fortunis hominum judicandum

erat. Relictis ſuo loco commentatoribus antiquis, quos adcurata ſerie *Johannes Paulus Kresſius*, Jurium in *Regia Ducali Julia* Doctor & Profeſſor Publicus recenſet, nos hic bigam tantum recentisſimorum Scriptorum, qui dictam *Conſtitutionem Criminalem Carolinam* doctisſimis adnotationibus exornarunt, referemus, nempe *Danielem Claſenium*, J. U. D. atq; in *Academia Julia* Anteceſſorem famigeratisſimum, nec non paullo ante allegatum *Johannem Paulum Kresſium*.

§. XCIV.

Daniel Claſenius.

Quod DANIELEM CLASENIUM ejusq; Commentarium in *Conſtitutiones Carolinas* attinet, is non modo genuinum cujuslibet articuli ſenſum declarat & vera ſubinde principia Juris hujus monſtrat, ſed etiam, quae in praxi circa *denunciationem*, *inquiſitionem*, *probationem*, *defenſionem* & alia huc pertinentia obſervanda ſunt, perſpicue tradit. Cumq; commentationes iſtae ab *Auctore*, cum viveret, Auditoribus ſuis in Collegiis privatis in calamum dictatae, atq; proinde uſui Juventutis Academicae dicatae ac deſtinatae eſſent: Amicorum quidam poſt fata *Auctoris* eam in ſe ſuſcepit operam, ut ex Ejusdem autographo diligenter illas deſcriptas typis imprimi ſicq; publici juris fieri curaret. Quo nomine non modo JCti, ſed & ipſi plane medici illi ſunt obſtrictisſimi, qui quippe complures in illis adnotationes & obſervationes reperient, quae guſtui moderno magis ſunt adcommodatae.

§. XCV.

§. XCV.

Alter horum Commentatorum noſtrae aetatis eſt JOHANNES PAULUS KRESSIUS, Jurium in *Regia Ducali Julia* Doctor & Profeſſor Publicus, qui, praeterquam quod in *Praefatione ad Lectorem* ſuccinctam ſimul atque adcuratam introductionem in hiſtoriam litterariam ſcriptorum, qui notis *Conſtitutionem Carolinam* illuſtrarunt, praemiſerit, non ſolum *Ordinationis* hujus *Criminalis* primas manifeſtavit origines, ipſumq; textus ſenſum genuinum explicuit, ſed &, ut nihil, ad *Jurisprudentiam criminalem* pertinens, omiſſum videretur, univerſam doctrinam & praxin *rerum criminalium* tam perſpicue tradidit, ut, ſicuti ipſe non vane ominatur, *labores* ejus *cum Academiarum tum judiciorum uſui aliquando ſuo modo profuturos eſſe absq; vanitate ſperare posſit.*

JOHANNES PAULUS KRESSIUS, JULIOR PROFESSOR.

§. XCVI.

Colophonis loco nunc adhuc *Auctores*, qui de ſortilegiis crimineq; Magiae ex profeſſo tractarunt, adjiciendi eſſent: Verum cum arduum iſtud argumentum noſtris in *Tentaminibus medico-legalibus* hucusq; attingere nondum licuerit, & interea tamen haud leves animum noſtrum dubitationes *de vera Diaboli poteſtate in alias res creatas, ſive materiales ſive immateriales* illae fuerint, occupaverint: Integrum nobis erit, ſcriptorum talium recenſionem & condignum de illis formandum judicium tamdiu ſuſpendere, donec negotium iſtud ſecundum *Conſtitutionum Carolinarum* tenorem plenius examinandi opportunitas nobis offeratur.

(o)

INTRODUCTIO IN HISTORIAM LITTERARIAM SCRIPTORUM, QUI MEDICINAM FORENSEM COMMENTARIIS SUIS ILLUSTRARUNT.

AUCTORE
ANDREA OTTOMARO GOELICKE,
Medico & Profeſſore Regio.

FRANCOFURTI cis VIADRUM,
Impenſis JOHANNIS GODOFREDI CONRADI.
MDCCXXIII.

SPECIMINUM
MEDICO-FORENSIUM
PRIMUM,
QUO DEMONSTRATUR:
FOETUM OCTIMESTREM VITALEM ESSE ET LEGITIMUM.

Praefatio.

Nihil eſt, quod in univerſo Philoſophiae curriculo majore animi contentione inculcat CARTESIUS, *quam praejudiciorum depoſitionem; Hiſce enim animus veluti obnubilus avertitur, quo minus, quid verum vel falſum, aequum vel iniquum, perſpicere queat: Periculoſiora tamen, quin & pernicioſiora reliquis omnibus ſunt praejudicia Authoritatis, tanta quippe in animos hominum virtute pollentia, ut, qui iisdem occupantur, ad cognoſcendam aeque ac inquirendam veritatem prorſus ſint inidonei. Et quamvis vitium iſtud per omnes Eruditorum ordines latisſime vagetur ac veluti dominetur,*

nullos tamen gravius occupaſſe videtur, quam ipſarum legum interpretes, iis potisſimum in caſibus, quos Medico-Legales ſolemniter adpellant, quorumq; deciſionem cum Medicis communem habent. Ad quod probandum in praeſenti inſtituto, nullo alio opus eſt documento vel argumento, quam toties negata ac pernegata Foetus octimeſtris Vitalitas, *ejusdemq; (ſi cum aliis liceat* βαρβαρίζειν) Legitimitas: *Adeò ut quaeſtionem propemodum Domitianam movere ipſis videretur, qui eandem doctrinam controverſam aut dubiam reddere allaboraret; Potisſimum cum DIVUS* (a) *HIPPOCRATES expreſſe doceat:* Menſe octavo natum, nullum unquam vixiſſe. *Hujus enim Authoritate ſeducti JCtorum plurimi, non dubitarunt magna cum fiducia aſſerere:* (b) Filium octavo menſe natum pro non nato habendum. (c) Partum octavo menſe editum, licet vivus videatur eſſe natus, tamen cum ſecundum naturam vivere nequeat, habendum, ac ſi natus non eſſet: (d) Partum octimeſtrem immaturum & intempeſtivum eſſe, qui

a) *Lib. de ætate p. 313. n. 22. & Libr. de Part. octimeſt. ſtatim in princip. edit. Linden.*

b) *Tiraquellus in Comment. ad L. ſi unquam. C. de revocand. donat. in Gl. ad lib. ſuſceperit liberos n. 205. p. 191.*

c) *Alciatus L. 9. Reſp. 23. n. 2.*

d) *Menochius L. 6. de praeſumt. Praeſ. 52. n. 7.*

qui ex communi phyſicorum ſchola vivere non poſſit: (e) Partum licet vivum editum octavo menſe, habendum tamen eſſe pro abortivo: (f) Partum octavo menſe natum, etiamſi ſit vitalis, communem tamen eſſe & philoſophorum & medicorum ſententiam, eum legitimum non eſſe: *Et rurſus*: (g) Conſtantem eſſe Medicorum ſententiam, octavo menſe partum vitalem & perfectum non naſci. &c. *Ex his, puto, conſtare poteſt, quid ſit aut valeat* Hippocratis, (*quem Virum doctisſimum* (h) *Jura appellare non dubitant*) *authoritas, de qua cum in* Jure Civili *tum* Canonico *obtinente integram Diſſertationem conſcripſit Muſaeus, quae legi meretur. Tantum veró abeſt, ut laudes venerando ſeni pasſim tributas, dubias reddere moliamur, ut potius ingenue confiteamur, in ſingulis ejus enunciatis ſingularem gravitatem ac majeſtatem elucere, quod inprimis* Aphorismos *&* Coacas *ejus* Praenotiones *legentibus liquido adparebit. Attamen non minorem, dum in rationibus reddendis occupatur, ſterilitatem hinc inde emicare, nemo facile negabit,*

 niſi

e) *Maſcardus V 3. de probat. Concluſ. 1146. n. 6.*
f) *Hunnius ad Treutler. V. 1 Diſp. 2. quaeſt. 19.*
g) *Bachov. ad Tr. V. D. 2. Theſ. 5. lit. E.*
h) *Leg. 12. ff. de Stat. hom.*

niſi qui eodem authoritatis praejudicio laboret. Quare prudentisſimum eſt enunciatum Illuſtris *Dn.* (i) Stryckii, *graviter ſuſtinere non dubitantis, leges iſtas, quae Antiquorum (Medicorum & Philoſophorum) hypotheſibus nituntur, hodie vim ſuam perdere, ſi melioribus rationibus, experimentis & quotidiano uſu hypotheſes illae evertantur. Merito itaque miramur, quare tam multi Celebres JCti* Hippocratis *authoritate ſeduci ſeſe pasſi fuerint, potisſimum cum hujus ſui aſſerti, prout in ſequentibus patebit, nullas, ne probabiles quidem rationes attulerit: Ut adeo nec* Hippocrates, *nec* Ariſtoteles, *nec ullus alius antiquorum vel medicorum vel philoſophorum, qui eorundem veſtigia preſſo pede ſecuti ſunt, cynoſuram nobis praebere queant, ſecundum quam de partus humani vitalitate ejusdemq; legitimitate condignum ferre liceat judicium, ne aut proximum noſtrum ignominia afficiamus, aut in ejusdem bona ſimus injurii. Ita enim hoc in negotio gerere nos oportet, ut & ipſimet pacatam habeamus conſcientiam; Et proximi noſtri famam, honeſtatem, bona & quicquid illi carum eſt, quocunque modo tueamur ac ſartum tectumque conſervemus. Hoc vero ut pro rei dignitate ſolide praeſtetur, quilibet facile perſpi-*

i) *In Uſu modern, ff. tit. de ſtatu hominum* §. 14.

perſpicit, inevitabilem nobis impoſitam eſſe neceſſitatem prius tractandi de fœtus humani conceptione, nutritione, augmentatione, animatione, vitalitate ejusdemq; ſignis, ac tandem maxime ordinario ac naturali pariendi tempore: Ex his enim longe felicius tunc determinari poterit, an partus octimeſtris vitalis, ac proinde legitimus pronunciari mereatur. Faxit autem DEUS T. O. M. ut non ſolum ipſum, qui tam mirabilis eſt ſuis in operibus, in profundisſimo generationis myſterio pie veneremur, ſed etiam, ne quid in proximi famam, honeſtatem & bona temere vel imprudenter effutiamus, adeoque in enodando tam arduo Problemate, quod tantum in vitam civilem habet influxum, nos praecipitemus, ſummo ſtudio praecaveamus.

§. I.

PRius quam ad explicandum abſtruſiſſimum generationis negotium deſcendamus, conſultum eſſe judicavimus, ad evitandam omnem ambiguitatem, ſenſum terminorum clariorem reddere, ne quid in reliqua dicendorum ſerie ullam nobis remoram injiciat. Quamvis enim alias inutiles illas ac ſaepe ridiculas Grammaticorum vel Criticorum lites, quas circa vocum vel derivationes vel acceptiones fovent, non admodum magni faciam: Attamen terminorum

horum evolutio vel propterea a nobis hac vice praetermittenda non eſt, quia non ſolum in iis totius problematis cardo vertitur, ſed etiam ſolida ejusdem ſolutio ab iis maximam partem dependet. Per *partum* itaque ſenſu medico hic intelligimus, non foetum, arctiſſimo uteri materni ergaſtulo adhuc incluſum, ſed potius infantem, mutuis iſtis & matris parturientis & maxime ipſius foetus moliminibus ex utero excluſum, vel chirurgia per partum caeſareum ex eodem exſectum. Eundemq; porro dicimus *Octimeſtrem*, ſeu octavo à conceptione menſe ſive priori ſive poſteriori modo excluſum vel extractum; & quidem *vitalem*, qui non ſolum vivus edatur, ſed & per aliquot ſaltem horarum, dierum, hebdomadum, menſium vel annorum intervallum in vivis permaneat. Ita enim *vivum* à *vitali* docet diſtingvere (k) Fr. de le Boe Sylvius, ingenue aſſerens, ſe eorum, quos obſervavit, foetus, ante ſeptimi menſis finem excluſos, nonnullos quidem *vivos* vidiſſe, nullos vero *vitales*; Rationemque ſimul addens: Quia rarius ad ſecundam tertiamve hebdomaden perduraverint in vivis, quamvis videam Schœpfferum aliosque JCtos hiſce vocabulis promiſcue uſos fuiſſe. Simili propemodum ratione D. (l) Irenaeus Vehr, olim Prof. Med. in Acad. Viadrina, diſtinguit *vivum* à *vitali*, judicans, fœtum vitalem & perfectum eſſe, qui non ſolum ad vitam, ſed etiam, ad robur partium abſolutus ſit; Abſolutum vero ad utrumque judicari, qui non ſolum vivus in lucem, prodeat, verum qui inſimul aptus ſit in vita permanere,

k) *Prax. Med. Lib 3. C.7.* §. 20.
l) *Diſput. de Abortu* §. X.

nere, quique totius corporis organici formationem habeat. Uno verbo, qui perfectus ſit homo, anima rationali & corpore organico inſtructus. Ex quo facile adparet, qua ratione *partus Vitalis* diſtinguendus ſit à *foetu abortivo*, utpote qui & intempeſtive prorſus excluditur, & imperfectus inſuper ac immaturus exiſtit, adeo ut, licet vivus eſſe videatur, is tamen nec in aëre hoc atmoſphaerico perdurare, nec alimentis propter imperfectam ac nondum plene abſolutam partium organicarum ſtructurum frui queat, ad vitam iſtam confirmandam ac protrahendam. Perſuaſiſſimi enim ſumus, in abortu determinando non tam ad ipſam periodi temporis anticipationem ſeu praematuram ante legitimum pariendi tempus excluſionem, quam potius ad ſolam foetus immaturitatem ejusque imperfectionem ratione organorum corporeorum reſpiciendum eſſe. Ac denique per *Partum legitimum* ſenſu Medico intelligimus talem, qui ea partium organicarum perfectione gaudet, ut functionibus animalibus edendis par ſit; Vel ſenſu Juridico, qui jus habet ſuccedendi &c. Non ergo videtur intempeſtivum aut ab inſtituto praeſenti alienum, circa haec vocabula ἀκριβολογεῖν: Hinc enim inferimus, *vivum eſſe embryonem* à primo ſtatim impraegnationis mulieris die, imo momento, quia confeſtim incipiunt prima ejusdem ſtamina non ſolum explicari, ſed etiam à corruptione praeſervari: *Vitalem* vero tunc demum evadere, ubi tum per varios tubulos humores incipiunt commoveri, tum etiam foetus non obſcura motuum localium edit indicia, quales quippe,

forma-

formationem partium & organorum jam perfectam & abſolutam eſſe, clare demonſtrant.

§. II.

Quae omnia ut eluceſcant clarius, rem, ut proverbio dicunt, ab ovo ordiamur, ubi tamen praemonere conſultum judicamus, juſtiſſimam eſſe querelam illorum, qui candide fatentur, nihil in univerſum ſolidi, nihil apodictice veri aut certi in hunc usque diem quoad negotium generationis hominis deprehendere potuiſſe philoſophiam, quin potius alienis opinionibus implicitam à recto tramite penitus aberraſſe. Hujus indolis ſunt, ſibi & aliis perſuadere velle, ſubtiliores ſeminis paterni particulas ſanguini materno communicari, ac circulationis lege ad ovarium deferri, tandemque in ovulorum uno vel altero motum vitalem inchoari & foeminam concipiendo impraegnari, quam ſententiam video defendere *Carolum Fridericum Lutherum, in Acad. Kilon. Prof. Med. Extraordinarium.* Ejusdem farinae eſt, aliis tanquam extra omnem dubitationis aleam poſitum credendum obtrudere velle, in ſpiritu ſeminis maſculini univerſam partium organicarum corporis ideam perfectiſſime delineatam eſſe, imo oculis accuratioribus microſcopiis munitis obſervari in ſemine virili corpuſcula quaedam vivide mobilia, vermiculos vivos, ex quibus corpus humanum conſtruatur, quod *Leuwenhoeckio* inprimis placuit: Quam fabulam novo adhuc mendacio auxit *Dalempatius*, qui non ſolum corpuſcula vivide mobilia, ut ille obſcurius, ſed perfectum homuncionem, toto jam corpore diſtinctum,

imò

imo non unum talem, ſed eorum aliquem numerum non contemnendum obſervaſſe ſibi viſus eſt. Et optarem ſane, *Clariſſ. Sturmium*, cujus alioquin in Philoſophia experimentali & Mathematicis induſtria nota eſt, a ſimilibus figmentis abſtinuiſſe, dum ille admodum veriſimile reputat, aerem & aquam homunculis inviſibiliter quidem parvis, ſed tamen penitus jam efformatis, ſcatere, quorum tandem unus in porulo teſtis muliebris, per viri cohabitationem ad hanc capturam diſpoſito, irretitus haereat, & irruptione alimentaris ſubſtantiae in majorem molem ſufferciatur; Sic enim nec amicis riſum, nec inimicis vomitum moviſſet: Haec enim ſingula ab omni fide humana remotisſima ſunt. Quis quaeſo ſibi perſuaderi patietur, ideam foetus in ſemine maſculino delineatam non mutaturam eſſe ſuam figuram, dum per tot viarum maeandros ipſi tranſeundum eſt, antequam ad ovulum muliebre perveniat? Et qui Lewenhoeckium, quem tanquam mechanicum potius quam eruditum vellem eruditi conſiderarent, novit, facile mihi praebebit aſſenſum, ipſum per mirabilia ſua microſcopia videre poſſe, quicquid vult: Quid ergo mirum, ipſum & hic ſuo indulſiſſe genio? Et quam ſolertes forent noſtrae mulierculae, praeſertim ſteriles, quam ſagaces in ſtruendis muſcipulis, ut ejusmodi homuncionem ex aëre adventantem & per corpus ſuum tranſeuntem irretirent, vinculis atque catenis ligarent, ne inſtar anguillarum ex iſtis ſeſe extricando illarum poſtea capturam, utut valde ſolertem & eluderet & illuderet. Supereſt itaque, ut de aliis prin-

cipiis, ex quibus major ad praeſens noſtrum inſtitutum redundet utilitas, ſimus ſolliciti, quae etiam non difficulter inveniemus, dummodò ad hiſtoriam partium genitalium utriusque ſexus ſedulo attendamus, quam tamen hic locorum pluribus perſequi nec vacat, nec opus eſt, cum idem ab aliis jam dudum praeſtitum ſit: Quae tamen generationis humanae genuina ſit indoles, breviter conſideremus.

§. III.

Hominis igitur ex homine naſcendi primordia ex ovo repetenda ſunt. Quemadmodum enim unumquodq; ſemen vegetabile totius plantulae ſchema, & unumquodq; ovulum animale futuri animalculi effigiem perfectisſime delineatam habet: Ita in ſummo probabilitatis gradu concludere poſſumus, ipſius quoque hominis, creaturae omnium nobiliſſimae prima ſtamina ac lineamenta in ovulo muliebri depicta eſſe. Sicuti vero ſemina terrae tanquam matrici ſuae non mandata, aut ovula animalium calore ſolis vel quocunque alio principio non actuata, inertia manent atque ſterilia: Ita etiamſi in Ovulis muliebribus prima foetus rudimenta materialiter ſita ſint, eorundem tamen foecundatio, quam conceptionem vocamus, à portione ſeminis maſculini halituoſo-orgaſtica expectanda eſt, ſiquidem, recte judicante Cl. Bergero, plantae principium motus intrinſecum gerunt, ſoloque tempore, quo idem ſuſcitetur, opus habent: Ovum autem animalis principio motus inſito nullo gaudet, ſed illud omne à mare accipit: Quem proinde in finem ſapientiſſimus humani corporis conditor ſexum maſculinum

num de organis genitalibus aptis proſpexit, ut eorum auxilio ſemen non tantum prolificum elaborari, ſed etiam in foecundum naturae agrum, uterum ſcil. foemineum immitti queat, ad opus generationis rite abſolvendum. Hinc ergo duos accepit teſticulos, extra abdomen in ſcroto pendulos, in quorum vaſculoſa & miros anfractuoſosque gyros efformante ſubſtantia ſeparatur à ſanguine, per arterias ſpermaticas vulgo ſic dictas adportato, delibatiſſima ſummeq; activa & ſpirituoſa ſanguinis portio, gelatinoſis quibusdam lymphaticis, prioribus pro vehiculo ſervientibus remixta, ſicq; liquorem genitalem componendo per tubulos epididymidum ſpermaticos motum ſuum ulterius proſequitur, ibidemq; magis magisque reſolvitur, activior & ſpirituoſior redditur, tandemq; in vaſa deferentia recipitur, atque veſiculis ſeminalibus infunditur, ubi tanquam in promtuariis ſuis collectus in futuros uſus aſſervatur, donec maſculus in dulces foemellae amplexus ruens univerſum ejus corpus orgaſmo Venereo perfundatur, eoque ipſo bina oſcula capſularum ſeminalium, caruncului totidem alias tecta aperiantur, ſicque per Urethram inferne per totum penis corpus decurrentem excernatur. Quod ut eo, quo requiritur, vigore fiat, extenduntur interea lateralia nervoſa penis corpora, adeoq; rigidius evadit membrum, ad ſemen eo fortius vegetiusque ejaculandum, qua rigiditate ſi deſtituatur, haud raro impotentiae virilis cauſſa exiſtit.

§. IV.

Semen maſculinum hoc modo in uterum ejaculatum non diu ibi commoratur, ſed generoſior ac magis elaſtica ejus pars imo fortaſſis etiam gelatinoſo-lymphatica ejusdem portio, mox aſcendit per oviductus ſeu tubas Fallopianas, anguſtiori principio ibidem incipientes & pedetentim in ſpatium capacius ſeſe diffundentes, donec tandem circa ovaria muliebria capreolorum vitis inſtar mirifice inflexi in plurimas carnoſas fimbrias (quas abſurdo vocabulo morſum Diaboli vocant Anatomici) deſinant, craſſiori magisque lymphatica parte ſeminis interea quoad maximam ſui partem ex utero iterum effluente; Unde ſimul apparet falſitas hypotheſeos antiquae, qua ex concurſu ſeminis utriusqve, maſculini aeque ac foeminini in fundo Uteri facto conceptionem fieri credebant. Haec vero ſubtilis & ſpirituoſa geniturae virilis aura protenus halitu ſuo penetrantiſſimo ingreditur ovarii alterutrius ſive dextri ſive ſiniſtri poros, in iisque unum vel alterum impraegnat ovulum, quod poſtmodum aura ſeminali turgidum à reliquorum ovulorum conſortio ſeſe liberare, atque per eosdem oviductus provolvere ſeſe pergit in ipſum Uteri fundum, tanquam genuinum illud diverſorium, in quo per integrum novem menſium ſpatium commorari cogitur, donec tandem aurae vitalis cupidus, perruptis carceribus, exitum ſibi quaerat, novusq; Macrocoſmi incola fieri incipiat.

§. V.

Haec ipſa vero quamvis revera ita ſeſe habere firmisſime mihi perſuadeam, non dubito tamen, fore non-

nonnullos, aegre laturos, quod foemellae ovaria, ovula & oviductus adſcripſerim, atque adeo conceptionem & generationem hominis ad eum fere modum fieri aſſeruerim, quo ſagax horum naturae arcanorum indagator, Harvaeus, pulli gallinacei formationem ex ovo primus in ſcenam produxit. Aſt conſiderent illi tantum horum organorum muliebrium ſtructuram & connexionem paulo attentius, & nihil habebunt, quod reponant nobis amplius. Quid enim reſpondebunt ad certiſſimas illas foetuum, in oviductibus repertorum & ſalva matre ex iſtis manu chirurgica exciſorum obſervationes? Quid reponent, ſi legant, Cl. Bergerum ex Ruyſchio, Anatomico ſubtiliſſimo, referentem, in muliere, brevi ab impraegnatione interemta, ovi nuper excluſi in teſticulo ſedem, partemq; tubae proboſcidis inſtar ad ovarium tortam, ut maturum exciperet ovulum, viſam ac demonſtratam? Neque hoc loco praetereundum eſt, mihi quoque iſtam contigiſſe felicitatem: Cum enim in Gymnaſio Anhaltinorum Patrio ſtudiorum cauſſa verſarer, obſervârunt mecum multi alii praeſentes in cane foemella, cultro anatomico ſubjecta, ſectionem dirigente Excell. DD. LIMMERO, meo quondam Praeceptore aeſtumatiſſimo, aliquos ovariorum folliculos membranoſos ruptos, ex quibus ovula jam erant egreſſa: Nonnulla etiam ovulorum impraegnatorum ſuperficiei ovariorum adhuc cohaerebant, & cornua praeterea uterina curioſo admodum ſpectaculo manifeſte aperta cernebantur, ita ut majorem calamum ſcriptorium haud difficulter admitterent, iisque adhaerebat ovulum, ſimile prorſus quo-

ad omnes proprietates illis, quae ovario affixa cernebamus, tandemq; intra tubas aliquot ovula prioribus ſimillima (notum enim eſt, Canes, feles, ſues &c, eſſe animalia multipara) contineri obſervabantur. Hae igitur ſimilesq; hiſtoriae pleniſſime poſſunt ſatisfacere illis, qui tantopere deſudant in oſtendendo modo, quo ovulum ab ovario ſeparatum in oviductum & illius auxilio in ipſum uterum devolvi queat; Eadem enim facilitate, qua hoc in foemellis brutorum animantium fieri poſſe, imo reipſa fieri, haud inviti concedemus. Et quod ipſa tandem foeminarum ovula attinet, non poſſumus ſatis mirari exactisſimam, quam habent cum illis gallinarum, analogiam; Cocta enim calore ignis eodem modo in albuminis conſiſtentiam concreſcunt, non aliter ac idem in ovis gallinarum fieri quotidie videmus.

§. VI.

Quemadmodum vero ingenium humanum novitatis ſemper cupidisſimum ac ſtudioſisſimum eſt: Ita qualescunque hae circa ſyſtema generationis demonſtrationes, vel ipſa etiam autopſia in ſectionibus cadaverum confirmatae nonnullis hodie incipiunt diſplicere: Talis enim eſt plurimorum eruditorum genius, ut laureolam in muſtaceo quaerant, mirifice ſibimetipſis applaudentes, ſi vel fando in opinionem aliquam incidant, quam vel vetuſtas temporum jamdudum obliteravit, vel, ſi liberaliores eſſe velimus, in quam ante ipſos nemo forte incidit: Quae enim gloria ex opinione, utut vere nova, ſperari poteſt? Protrudumur quotidie in publicum ingentia opinionum plauſtra, ex quibus tamen, ſi qvam

ſi quam maxime veras eſſe ſupponamus, pauca aut nulla ſperanda erit utilitas. Ad hanc claſſem merito etiam referenda nobis videntur cogitata de *ovario Novo*, quod in ſectione cadaverum quorundam muliebrium ſibi nuperrime detexiſſe viſus eſt Experient. DD. Naboth, qui, licet primum harum veſicularum in cervice potisſimum uteri occurrentium inventorem ſeſe pronunciare non audeat, cum non ſolum *Regnerus de Graeff*, ſed etiam *author Zodiaci Gallici* aliique earundem jamdudum ante ipſum mentionem fecerint: Non obſcute tamen inſinuat, ſe primum dictis veſiculis novum iſtud officium demandaſſe, atque pro genuinis ovulis reputaſſe, in quibus foetus humani naturalis fieret conceptio, cum *Regnerus de Graeff* easdem multo veriſimilius, prout mihi quidem perſuaſum eſt, habuerit pro hydatidibus, i. e. veſiculis, lympha p. n. collecta turgidis, qualem uterum numeroſis ejusmodi veſiculis, liquorem ſeroſo-luteum ex acus punctura ſtillantibus, conſitum, memini, me in Academia Lugduno-Batava vidiſſe apud Clar. D. D. & Prof. *Deckerum*, qui eundem ex muliere hydropica extraxerat, cui in prodigioſam plane capacitatem ex incredibili aquarum in ejus cavo collectarum quantitate uterus excreverat, qualem hydropis ſpeciem non aliunde rectius, quam à talium hydatidum ruptura derivandam eſſe cenſerem. Sed ab his omnibus toto coelo diſcrepare ovarium ſuum novum contendit D. *Author*; Quare etiam primam ejusdem inventionem ipſi non invidebimus, certisſime perſuaſi, neminem eorum, qui talium veſicularum mentionem in ſuis ſcriptis fecerunt, e re ſua

judicaſſe,

judicaſſe, nobilisſimam totius oeconomiae muliebris functionem, ſc. conceptionem ejusmodi hydatidibus tribuendi, quas p. n. à ſola ſeri lymphatici collectione ortas eſſe vel leviter attendentibus manifeſtum eſt.

§. VII.

Sed meretur haec res paulo clariorem deductionem, ſi bona ejusdem pace id tentare liceat, non quidem animo refutandi, ſed tantum pro ea, quae inter litteratos viget, libertate ſentiendi, vel potius dubia, circa hoc negotium enata, liberius exponendi. Videamus itaque ante omnia, quibus rationibus inductus D. *Author*, non ſolum receptae hypotheſi de ovariis muliebribus hactenus aſſertis repudium miſerit, ſed etiam in novas haſce ſpeculationes deſcenderit, hydatidibus uteri novam conceptionis ſpartam demandandi. Quod prius attinet, de eo poſtea loquendi uberior dabitur occaſio. Quoad poſterius vero, tria inprimis ſunt, quae pro confirmatione ſententiae ſuae urgere videtur. *Primum* eſt, *quod novum iſtud ovarium in omnibus foemellis, ſemper & ſine diſcrimine temporis reperiatur.* Multum ſane negotii faceſſeret ſibi D. *Author*, ſi propoſitionem hanc maxime univerſalem in omnibus ſubjectis, ſemper & ſine diſcrimine temporis ipſa autopſia comprobare deberet. Fuerunt per totidem ſecula & adhuc ſunt multi perſpicaciſſimi, &, ſi ita loqui fas eſt, ipſo Argo oculatiores Anatomici, qui in totidem uteris cultro ſuo ſubjectis procul dubio Veſiculas illas, utpore quarum *aliae piſi majoris, aliae minoris, nonnullae ſeminis cannabini, plures granorum milii magnitu-*

gnitudinem ſecundum ejus obſervationem aemulantur, obſervaturi fuiſſent. Profundisſimum vero eorundem de his rebus ſilentium propoſitionis hujus univerſalitatem maxime dubiam ac ſuſpectam reddit, potisſimum cum ad corpuſcula tantae capacitatis videndum non requiratur oculus microſcopio *Leuenboeckiano* aut *Moeſchenbroeckiano* demum munitus, ſed vel ſemicoeco, etiam invito & tale quid non quaerenti, manifeſte ſeſe palpanda obtrudant. Et ne quid disſimulem, contigit etiam mihi ante biennium puellam quandam decem annorum in ſuburbio Hallenſi examini anatomico ſubjicere, &, cum jam tum temporis de novo Ovario *Lipſiae* invento musſitarent Studioſi Medicinae, cupiditas incesſit animo, negotium iſtud rimandi curatius, adeoque non difficulter à matre puellae obtinui, ut uterum cum annexis tubis domum mecum deferrem; Sed ingenue confiteor, me totam internam ejus ſuperficiem glabram, nullisque tuberculis aut veſiculis aſperam aut inaequalem deprehendiſſe, etiamſi vel microſcopiis accuratisſimis, quibus non deſtituor, uterum undiquaque luſtrarem; An oculorum hebetudo, an ovulorum parvitas, an vero, quod probabilius, eorundem abſentia in cauſſa fuerit, ex his facillimum eſt dijudicare.

§. VIII.

Alterum, quod ipſum ad novam hanc hypotheſin ſtatuminandam commoviſſe videtur, eſt *ovarii hujus ſimplicitas*, ſive, quod *ſolitarium ſit ſeu unicum*, licet paulo poſt non obſcure ſibi contradicere videatur,

dum aſſerit, quod, licet ſit ſimplex, ſubinde nihilominus in circumferentia cervicis interna fere *inſtar binarum arbuſcularum cum ramulis expanſarum atque fructibus* conſpiciatur. Quod tamen hac vice non admodum urgebo, illud tantum breviter moniturus, iſtam organorum corporeorum ſimplicitatem providam ac ſolertem naturam ſedulo ſemper ac ſtudioſe ubivis evitaſſe, adeoque homini binos oculos, binas aures, duas narium pinnas, duos renes, totidemque vaſa ſpermatica, duos teſticulos, duo ovaria, plures *lobos pulmonum* ac hepatis, paria ſemper nervorum tam ex cerebro quam medulla ſpinali prodeuntia liberaliter indulſiſſe, idque eandem ſumma non niſi providentia feciſſe, ut altero horum organorum laeſo vel corrupto, alterum nihilominus ſalvum eſſet ac ſuperſtes. Tantum igitur abeſt, ut imaginaria illa ovarii ſic dicti ſimplicitas aliquam foemellis praerogativam allatura, ut potius iisdem in procreatione ſobolis ſumme noxia futura ſit. Tali enim ovario ſimplici ſemel deſtructo, nulla amplius generationis actui medicina ſupereſt. Cum e contra in duplici ovario antiquo, altero laeſo, alterum adhuc integrum ſit, & talis foemella felix adhuc multorum liberorum poſſit eſſe mater, uti mulier apud *Cyprianum*, cujus hiſtoriam poſtea exponemus, evidenter probat.

§. IX.

Sed *tertium*, idque princeps argumentum inprimis ſuppeditat *commodus ſitus* ſeu *locus*, in quo ovarium novum deprehenditur, occupans quippe omnem internam cervicis uteri ſuperficiem ad infimam usque

cavitatis

cavitatis fundi uterini partem, licet etiam *nonnullae iſtarum veſicularum limbum orificii interni excurrant & nonnunquam in circumferentia cervicis interna inſtar binarum arbuſcularum cum ramulis expanſarum atque fructibus* eleganter conſpiciantur. Ecce! Quam pulchrum ovarium, in quo puſiones creſcunt, non aliter ac pira ac poma in arbuſculis! Lubens tamen agnoſco, commodum iſtum ſitum ad immediatum ſeminis maſculini contactum vividius ſuſcipiendum multum conferre. Sed quis non videt, ex tali foecundo congreſſu non unum vel alterum puſionem, ſed integram eorum coloniam eſſe prodituram, ſicuti non ſine ſingulari delectatione à bombycibus, ſaepenumero multas ovulorum ſeries centuriatim ſemine illorum foecundo conſperſas & foecundatas fuiſſe obſervavi. Sed mulieres tamen ordinario non ſunt multiparae.

§. X.

Aſt duriora adhuc fata miſerorum puſionum cervicibus imminent, quia patria illorum, h. e. veſiculae ulterius deſcribuntur, tanquam *duabus partibus ſubſtantiae cervicis immerſae & cum eadem veluti continuatae, parte circiter tertia extra internam cervicis uterinae ſuperficiem prominente.* Doleo merito illorum ſortem: Quis enim ipſos ex foveis iſtis profundisſimis, quibus immerguntur, liberabit? Quis credet, hoc pacto ullum partum naturalem eſſe futurum, qui non bipalio effodiendus aut cultris inciſoriis ex utero, *cum quo* non tantum *continua*, ſed etiam *ad duas tertias partes immerſa ſunt ovula*, exſcindendus ſit? Et unde conſtat, *tantum*

placentae uterinae vicem explere, quantum ultra duas tertias ſubſtantiae cervicis eſt immerſum? Annon hinc ſequeretur, placentam uterinam utplurimum cervici uteri debere eſſe agglutinatam, adeoque non leve foetui exituro objicere obſtaculum, quod tamen inſpectioni oculari repugnat? Cum placenta uterina fundo uteri conſtanter adhaereat, licet in eo varius obſervetur naturae luſus, dum interdum in ſiniſtra, nonnunquam in dextra, nonnunquam in anteriore, nonnunqvam in poſteriore fundi uterini parte haeſiſſe deprehenſa eſt, quemadmodum in nuperrima ſectione, quam in muliere quadam ruſtica, praeſentibus quibusdam Auditorum meorum, adminiſtravimus, eandem parti fundi uteri dextrae adhaeſiſſe clare conſpeximus. Unde vero porro probabit D. *Autor*, in veſiculis uterinis contineri germen, i. e. totum foetus corpuſculum? Cum ipſemet fateatur, ſingulas foetus partes nullum oculum, optimis licet vitris armatum, diſcernere poſſe; Iisdem difficultatibus premuntur, quae de amnio & chorio, tanquam membranis foetum involventibus & funiculo umbilicali profert. Haec vero omnia ſi dubia ſunt, incerta & ex rationis tantum ſpeculantis conceptibus profecta, uti ipſemet non negat, nemo nobis vitio vertet, ſi, quae juxta leges hujus hypotheſeos adhuc reſtarent dubia circa conceptionem & inchoandam & perficiendam exponenda, in aliud tempus remittamus.

§. XI.

Interim libenter adhuc ſcirem, qua ratione cum hac ſua hypotheſi conciliaturus ſit rariores

quos-

quosdam caſus Mulierum, quae foetus in ipſis quoq; tubis Fallopianis geſtarunt, ſicuti notum eſt, canes foemellas ſuos catulos geſtare in cornubus. Memorabile certe ejus rei exemplum nobis exhibet (m) *Abrahamus Cyprianus*, *Anatomiae* & *Chirurgiae* in *Academia Franequerana Friſiorum* nuper *Profeſſor*, qui foetum humanum mortuum poſt 21. menſes à prima impraegnatione ex tuba uteri dextra feliciſſime extraxit, & quidem, quod merito mirandum, matre ſalva ac superſtite, adeo ut etiam anno ſequente poſt adminiſtrationem hujus *ſectionis* quodammodo *Caeſareae* filiam, & iterum ſubſequente anno gemellos pepererit, certiſſimo documento, tubam ſiniſtram prorſus manſiſſe illaeſam, adeoq; novam conceptionem ſolemniter fieri potuiſſe. Similem de conceptione tubaria hiſtoriam orbi litterato jam dudum ex obſervatione *Benedicti Vaſalii*, *Chirurgi Pariſienſis*, communicavit (n) *Johannes Sigismundus Elsholtius*, potentisſimi *Electoris Brandenburgici Archiater*, & eo quidem tempore, quo hypotheſis illa de ovario muliebri adhuc erat ignota. Quid ergo? An putabimus ovula illa turbine abrepta fuiſſe ex cervice uterina & in *tubam Fallopianam* aſcendiſſe? Sed id ne quidem poſſibile eſt, (o) valvula tubae in uterum deſcendentis hoc impediente ac validiſſime renitente.

m) *in Epiſtola ad D D. Thomam Millington, Equitem auratum, medicum regium & collegii Medicorum Londinenſium Praeſidem.*

n) *in Epiſt. de conceptione tubaria, qua humani foetus extra uteri cavitatem in tubis quandoque concipiuntur, ad D.* Wolrathum Huxholtium *Sereniſſ.* Landgrafiae Principis Haſſiacum *regentis Archiatrum.*

o) *Hanc valvulam obſervavit & depinxit idem* Elsholtius, *in principio tubae talis ſtructurae, ut ovulo quidem exitum ex tuba, non vero ingreſſum in illam concedat. Vid. append. ad Ann. 4. & 5. Miſcell. N. C.*

Unde merito concludit praedictus *Elsholtius*, vero maxime conſonum eſſe, foetum iſtum tubarium propagationis ſuae principium deſuper accepiſſe, illudque ovulum in medio tubae canali, dum deſcendebat, ob impedimentum aliquod ſubſtitiſſe, ſingulari & certo argumento, conceptionem in utero nullam fieri, niſi ex ovario ovulum prius deſcenderit. Accedit, aſcenſum ovulorum in conceptione tubaria debere eſſe perpendicularem, qualis tamen ſecundum naturae leges admodum eſt difficilis. Et, quid pluribus opus eſt teſtimoniis, cum ſimilem foetum humanum in tuba uteri conceptum jam ſuo tempore obſervaverit (p) *Johannes Riolanus.* Imo quid reponendum erit ad certisſimas obſervationes eorum, qui cicatriculas obſervarunt in ipſis ovariis non tantum brutorum ſed & mulierum, ex quibus olim ovula avulſa & mediantibus tubis in Uterum tandem devoluta fuerunt, quale quid integra medicorum ſocietas in ſectione cadaveris foeminini ſumma cum curioſitate conſpexit *Francofurti ad Moenum;* Nam cum anno 1707. menſe februario Anatomia cadaveris foeminini publice adornaretur, profectore D. D. *Kiſnero* & praeſentibus D. D. *Juncken*, D. D. *Gladbachio*, D. D. *Müllero* aliisq;, obſervata fuit cicatricula in ovario, ovuli ante conceptionem ibidem deliteſcentis certiſſimum teſtimonium. Et retulit mihi Amicus non minori fide dignus, qui tamen nomen ſuum vult reticeri, quod Anno 1706. in exenteratione foeminae cujusdam honeſtae, quae proximo necesſitudinis gradu ipſi erat conjuncta gravidaque deceſſerat,

p) *Anthropolog. Lib. 2. Cap. 35.*

ceſſerat, obſervaverit non tantum cicatriculam in ovario ſiniſtro, ſed, quod magis, ipſam citatriculam grumulo guttulae ſanguineae repletam. Taceo alias difficultates, in hoc negotio prorſus inſuperabiles. Horum vero omnium fidem ſuſpectam habere velle, ſumma foret temeritas.

§. XII.

Quae vero cauſſae ſint, cur veteri illi hypotheſi (Loquor in comparatione ad ovarium novum D. D. *Naboth*, alias enim antiqua non eſt) renunciaverit, novumque in ipſa uteri cervice ovarium quaerere coactus fuerit, exinde non difficulter liquet, quod tubas Fallopianas nec ſemini maſculino ad ovaria, nec ovulis ab hiſce ad uterum deferendis commodas eſſe aſſerat, quia *in foeminabus cum a ſe tum ab aliis apertis tubas cum teſtibus ſtrictisſime coaluiſſe* aliquoties obſervavit. Mirabar prima fronte, cum haec legerem, probe gnarus, principem difficultatem, eamque non exigui momenti, quamque plurimi medicorum inſuperabilem judicarunt, in eo conſiſtere, quod ovaria muliebria in cadaveribus diſſectis nimis conſpiciantur eſſe remota ab ipſis tubis Fallopianis earumque fimbriis, adeo ut vix videatur posſibile, quomodo ovula, à reliquorum conſortio abrupta, in ipſam tubae cavitatem ingredi & mediante ea ad uterum tandem devolvi queant. Si vero D. *Authbor*, cui hac in re fidem derogare nefas ducimus, tubas cum teſtibus conjunctas vidit, cur nos amplius fatigaremus in explorando modo, quo vel aura ſeminalis ex utero

utero per tubam perveniat ad ovarium, vel ex ovario ovulum per eandem viam devolvatur ad uterum. Adeoque & ipſi & nobis gratulamur, quod ex gravisſimo hoc Labyrintho facili hac, plana & expedita via extricare nos voluerit. Fortasſis autem per ſtrictisſimum iſtum coalitum, putat, ſimul tubam penitus imperviam & coecam redditam fuiſſe? Id vero probandum eſt, aut flatum immittendo, aut liquores coloratos injiciendo, aut ſimilia experimenta inſtituendo: Quod tamen hucusque factum fuiſſe, non meminimus. Concludimus ergo, D. D. *Nabothum* in mediis de ſterilitate meditationibus cogitata maxime ſterilia de ovario novo in cervice uteri reperto peperiſſe.

§. XIII.

Aſt revertamur ad id, a quo paululum digresſi ſumus, & hiſtoriam generationis ea, qua coepimus, ſerie, ulterius proſequamur. Commorante itaq; praedicto modo muliebri ovulo in arctisſimo uteri materni ergaſtulo, alimenti ac nutrimenti eget tenellum embryonis corpuſculum, ut ſubtilisſima ipſius ſtamina magis evolvantur, explicentur ac pedetentim ſenſibilia reddantur: Ubi libere fatendum eſt, hic inprimis, ſi qua ulla in re, maximum eſſe Medicorum diſſenſum, nonnullis nutritionem foetus in utero per os, nonnullis per umbilicum, nonunllis & per os & per umbilicum eandem fieri ſuſtinentibus. Neque negandum eſt, utriusq; opinionis fautores ſuis, iisq; valde praegnantibus inſtructos eſſe rationibus. Primae ſententiae album adjiciunt calculum non ſolum

(q) *Clau-*

(q) *Claudius de la Courvée*, ſed etiam Excell. D. *Bohnius* (r) Prof. *Lipſienſium* famigeratisſimus, quorum quidem Virorum authoritatibus temere nos opponere, aut rationes ab ipſis allatas impugnare vel infringere non laborabimus: Non poſſumus tamen interea disſimulare, probabiliorem nobis videri ſententiam illorum, qui nutritionem foetus in utero per vaſa umbilicalia fieri ſuſtinent, quamvis interea cum plurimis aliis credamus, tenellum embryonis, formicam exiguam vix ſuperantis corpuſculum, primis praecipue conceptionis diebus, aliter nutriri, à qua etiam ſententia ipſemet (s) *Bohnius* non abludit, dum ita loquitur: *Nutritionem conceptus aliter concipere licebit in embryone, cui hepar hoc alterum (uterinum nempe ſeu placenta uterina) contigit: Illarum enim extremitates, tanquam radiculae inſenſiles, ovuli utero recens illati colliquamento libere innatant & ſiphunculis ſuis ſubtiliores ejus particulas abſorbent, non per aviditatem aliquam & virtutem attractricem congenitam, qualem hactenus ſomniarunt, ſed quas ab impulſu externo & jugi recipiunt &c.* Quemadmodum enim plantae, telluri commiſſae, non ſtatim primo, quo ſeruntur, die, radiculas ſuas in terram exporrigunt, quibus alimentares ſuccos imbibant & intra ſeſe reſorbeant; Sed medulla, quam intra capſulas ſuas recondunt ſemina, nutriantur neceſſe eſt. Et quemadmodum pulli gallinacei toto eo tempore, quo intra teſtas ſuas commorantur, omne ſuum nutrimentum ex vitello hauriunt: Ita nihil rationi magis conſentaneum eſt, quam ipſum quoque embryonem

D primis

q) *In ſuis Paradoxis de Nutritione foetus in Utero.*
r) *Circulo Anatomico-phyſiologico Progymnaſmat. II. p. 28. & 29.*
s) *l. c. p. 25.*

primis conceptionis diebus ſuum haurire nutrimentum ex eo, in quo primum conceptus eſt, liquore, ſubtili nempe lympha illa, qua veſiculas ovulorum muliebrium repletas eſſe, ſupra aſſeruimus: Cum qua opinione egregie conſentit Cl. (t) *Bergerus*, dum ita loquitur: *Itaque intromiſſa per ovi pelliculas geniturae portio, dum ſuo elaterio omnem illius lympham, in eoque convoluta prima germinis lineamenta pervadit & pororum excavationem aggreditur, partesque alias firmat, alias ſolvit & liquat, omnesque ad motum convenientem exſuſcitat, id, quod fluidum maxime eſt, ex circumfluae lymphae colliquamento in patentiorem porum oris, oeſophagi, Ventriculi & inteſtinorum facile impellitur, & porro per poros venularum lactearum ad punctum ſaliens ſive corculum, indeque per porulos arteriolarum ad cerebrum corpusque reliquum in alimoniam & conformationem partium &c.* Hujus vero generis nutritio eo usque tantum extenditur, donec nutrimento, in quo foetus conceptus eſt, ferme conſumto, placenta uterina una cum vaſis umbilicalibus formari incipiat, eorundemque auxilio embryo nutriri queat: Quare perpulchra ſunt verba, quae ea de re habet Excell. D. (u) *Hoffmannus*: *Accedit maxime illud; Quod provida natura in elaborando ſecundinarum corpore primo tempore ſit admodum occupata, ut non incrementum foetus ſingulare animadvertatur, antequam placenta uteri inſignis molis utero ſit annexa*: In quibus Viri Celeberrimi verbis & nos lubentes acquieſcimus.

§. XIV.

Ex iis autem, quae hucusq; de formatione foetus in Utero diſputata ſunt, nunc clare eluceſcit, fruſtra

t) *Tract. de nat. human. Part. II. Cap. II. p.* 470.
u) *Diſp. de morb. foetuum in Uter. matern. §. XIV. circa finem.*

ſtra recurri ab antiquis ad ſpiritum quendam architectonicum ſeu virtutem plaſticam, quam nonnulli eorum in ipſo ſpermate virili quaerunt, alii vero a ſpiritu ſeminis maſculini prolifico diſtinctam eſſe volunt: Ex antecedentibus enim manifeſtum eſt, ipſis ovulis muliebribus prima foetum formandorum lineamenta jam eſſe concreata, adeo ut nihil amplius requiratur, quam ut per auram ſpermatis virilis ſpirituoſam vivificentur, actuentur, evolvantur, explicentur, atque ita elegantiſſima corporis humani fabrica pedetentim ſenſibilis evadat, donec tandem majus robur nacta perfectum offerat hominem. Haec vero quam clare indefeſſo obſervandi ſtudio ob oculos poſuerint diligentiſſimus *Malpighius*, *Harveus* aliique; Antiquam tamen hypotheſin de virtute ſpiritus geniturae virilis plaſtica recoquere allaborarunt in Diſputatione, praeterito menſe *Lipſiae* habita, qua demonſtrare nituntur Domini * Diſputantes: *Foetum non ante conceptionem in ovulo praeexiſtere, ſed poſt eandem demum formari.* Licet autem propoſitum noſtrum non ferat, cuncta rationum allatarum momenta penitius examinare; Attamen diſſimulare non poſſumus, eas, ſi curatius ponderentur, debito concludendi robore non pollere, ſicuti plenius demonſtrare conabimur in conflictu contra eos, qui hypotheſeos hujus defenſionem in ſe ſuſcipient. Neq; arridet mihi hoc in caſu ſententia nonnullorum *Carteſianorum*, qui formationem corporis humani immediatum DEI opus eſſe contendunt, inter quos omnium

* *M. Criſtianus Fridericus* Böttger, *Reſpondente Johanne Chriſtiano Nathan.*

acerrime hanc opinionem inculcat (x) *Arnoldus Geulinx*, & (y) *Philaretus*, accuratus *Geulingii* commentator, ſub quo nomine Dn. *le Clerc* latere nonnulli credunt, ubi ad mentem authoris ita loquitur: *Reprehendenda eſt ſcurrilis illa quorundam in vernacula noſtra lingua locutio, qua eum, qui prolem forte genuit, puerum vel pueros feciſſe dicunt: ſcurrilis, inquam eſt hic loquendi modus, & fateor, non ſolet hoc niſi per deridiculum dici; Interim abſtinendum eſt: Phraſis enim per ſe impietatem ſonat, & quod DEO proprium eſt, adſcribit aliquando quibusdam nebulonibus &c. Quid? Quod non tantum hic, qui ſic loquitur, opificem ſeſe humani corporis (in quo ipſo ſumma eſt impietas) ſed integri & completi hominis ferat, adeoq; mentis humanae factionem ſibi arroget &c.* Haec vero ſententia ſumme nobis periculoſa videtur, eo praecipue nomine, quod praecipiti admodum via ad *Spinoziſmum* deducere poſſit incautos. Quare exiſtimamus potius, animam rationalem ipſam, quae generando a Parentibus foetui communicata fuit, ſecundum delineationem in ovulo praeexiſtentem, formationem moliri, donec ſucceſſive ad ἀκμὴν perducatur.

§. XV.

Ordinis nunc efflagitare videtur ratio, ut, quo pacto omnia organa tam interna quam externa ſucceſſive formentur, exponam: Quia vero perſuaſiſſimus ſum, litem illam de primogenitura partium otioſam eſſe ac ſupervacaneam, hinc & eandem ſicco pede praeterire nullus dubito, cum & inſuper hypotheſibus noſtris convenientiſſimum ſit aſſerere, omnes foetus partes

x) *Opuſc. Ethicor. Sect. II. § 3.*
y) *l. c. n. 7.*

partes ſimul generari, licet non omnes ſimul perfectionem ſuam acquirant, multo minus omnes ſimul prodeant in conſpectum. Cui noſtrae opinioni egregie rurſus patrocinatur Cl. *Bergerus*, quando aſſerit, corpus noſtrum humanum non ad modum aedium exſtrui, ſed cohaerentibus ſibique conjunctis ductibus, quos ſucci vitales perambulant, conſtare, & circuli inſtar principio carere ac fine, ac machinae totius artificium in ſolo vaſorum & canalium ad ſe invicem & fluentium in iis humorum reſpectu conſiſtere, adeoque concipi plane non poſſe, quomodo cor prius quam cerebrum, vel hoc ante cor, aut pars alia ante aliam generari poſſit, ſiquidem ex arteriis, venis & nervis iisdemque continuatis fibris omnes ſunt contextae. Haec vero omnia vel propterea praetermittimus eo lubentius, quo minus intentio noſtra fert exactam generationis hiſtoriam hic tradere.

§. XVI.

Accedamus potius ad ſcopum noſtrum propius, inquiſituri potiſſimum, quo tandem tempore foetus vere vitalis, atque adeo legitimus in hunc mundum prodire queat. Quod antequam praeſtemus, altiorem meretur inſpectionem celebris illa ac toties inter medicos ventilata controverſia *de Partus humani vitalis vero ac naturali termino*, quem nonnulli incertum plane ac vagum, nonnulli vero certum eſſe ac fixum ſuſtinent. Ex priorum claſſe primus tanquam anteſignanus nominandus eſt (z) *Ariſtoteles*, qui omnibus quidem animantibus certum ac determinatum tempus aſſignat,

 ſoli

z) *Libr. VII. de hiſtor. Animal. C. 4.*

ſoli vero vel uni homini multiplex *ſeu varium* pariendi tempus datum eſſe graviter pronunciat. Et horum quoque numero ſupra citatus Dn. (a) *Carolus Fridericus Lutherus* aſſociare conatus eſt Celeberrimum *Valentinum*, *Profeſſorem Medicinae in Academia Haſſo-Gieſſena*, qui tamen pro ea, qua pollet in his rebus, prudentia & peritia, quae ex Pandectis ejusdem Medico-Legalibus ubique elucet, ſatis probavit, *Lutherum* ipſius ſententiam ne quidem rite percepiſſe, adeoq; tanquam ineptum harumce rerum judicem merito conſiderandum eſſe: Se enim partus humani terminum nullibi vagum ac mutabilem pronunciaſſe, ſed ancipitem tantum ea in re haeſiſſe, ne matronis honeſtiſſimis ullam ignominiae maculam affricaret. Ex numero vero poſteriorum pauci admodum ſunt, qui eundem partus humani Terminum abſolute certum, fixum & immutabilem ſtatuunt. Nihilominus hanc ſententiam tanto cum fervore propugnavit ſuo tempore (b) *Ammannus*, *Profeſſor Lipſienſis*, ut omnes alias partus differentias ab antiquitate in hunc usque diem obſervatas non niſi ex fungoſo vetularum cerebro atque ecliptico veteranorum Medicorum, utpote aniculis lippientibus plus ſaepius fidei, quam par eſt, tribuentium judicio proveniſſe, magna cum fiducia aſſeruerit. Adeoque omnem illam pariendi in foemellis incertitudinem ita in ſolidum negat, ut omnes hactenus ſubortae partuum differentiae naſcantur potius vel ab errore calculi mulierum, vel ab anticipatione nuptiarum à termino ſponſaliorum,

a) *in Diſput. Fridericiana, de partus humani vitalis naturali & vero termino.*
b) *Irenico Numae Pompilii cum Hipp. p. 63. 64. 68. & 70.*

rum, vel alia quacunque venere illicita. Ac tandem, quaſi re optime geſta, ſibimetipſi applaudit, concludens, hanc ſuam epicriſin per omnia naturae conformem eſſe atq; conſonam: Quam tamen ſententiam praelaudatus D. *Valentinus* merito duriſſimam & inſontium matronarum famae maxime injuriam vocat.

§. XVII.

Ut vero, quid in tanto ſententiarum variantium diſcrimine ſentiendum ſit, liquido adpareat, paucis examinabimus argumenta eorum, qui cum *Ammanno* terminum partus humani ita certum, fixum & immutabilem ſtatuunt, ut propterea omnes alias partuum differentias tanquam veneris illicitae fructus reſpiciant. Princeps, quantum mihi quidem videtur, eorum ratio eſt, quod nec ipſae mulierculae impraegnationis ſuae tempus certo ſciant, nec ipſis quoque medicis ſufficientia innotuerint ſigna, quorum adminiculo certo & indubitanter factam impraegnationem cognoſcere poſſint. Quamvis autem, ſi de ſordidis proſtibulis, ex promiſcua venere quaeſtum venantibus, ſermo ſit, facile conceſſerim, illis de facta impraegnatione ita certo & infallibiliter conſtare non poſſe: Attamen non citra rationem magna cum fiducia *Fr. de le Boe Sylvius* aſſerere auſus eſt, mulieres honeſtas, non tam voluptati quam prolis conceptioni intentas, poſſe utique non ſolummodo impraegnationis diem, ſed & horam, imo momentum certo determinare. Neqve negotium usqve adeo difficile eſt & incertum ratione

ipſorum

ipſorum Medicorum; Quamvis enim ſigna ab (c) *Hippocrate* allata, omnino dubia ſint ac ſaepe mulierculis ipſis riſum moveant, quando ſcil. vel aquam mulſam mulieri dormiturae propinandam jubet; Hinc enim ſi ventris tormina eam correptura ſint, indicium eſſe concludit, eam concepiſſe, ſin minus, eandem non concepiſſe: Vel ſi orificium Uteri connivens & duriuſculum deprehendatur, vel quicquid hujus eſſe poteſt: Attamen non usqve adeo anceps haeret Medicus, quin cuncta illa ſigna, menſtruorum, quae rite hactenus fluxere, ſubſiſtentiam cum faſtidio ciborum & vomitu, quibus nonnunquam etiam pica aliaque inſolita phaenomena ſeſe jungunt, debite invicem conjungendo, de facta impraegnatione, ſi non plane certum & indubitatum; (Nam à Medicis talibus in caſibus non ſemper demonſtrationes mathematicae exiguntur) attamen ſumme probabile ferre poſſit judicium: Potiſſimum ſi ex propria mulieris impraegnatae confeſſione ulterius informetur, eam peracto congreſſu maritali ſatis ſenſibiliter animadvertiſſe, auram quandam frigidiuſculam corpus ſuum perrepraſſe, ipſaque ab hoc tempore incipiat colorem faciei floridum ac purpureum cum pallido, livido & abjecto permutare, ſi ſingularem atque inſuetam membrorum laſſitudinem percipiat in ſuo corpore & quae his ſimilia ſunt. Verum ſi qua ulla in re medico opus eſt prudentia, certe in dijudicanda mulierum ingravidatione cautum ac circumſpectum eundem eſſe oportet, ne aut famam ſuam periculo exponat, aut eandem coram aliis proſtituat, quia mulieres gravidae plurima

c) *Sect. V. aph. 41. 51. & 54.*

plurima phaenomena habent communia cum iis, quae aut menſtruorum ſuppresſione aut tympanite laborant: Adeo ut nonnunquam talis putatitia impraegnatio in flatus enormes cum manifeſta ventris detumeſcentia deſinat, quas propterea laute ridet (d) Bartholinus, nec inconcinne huc refertur illud lepidum Poëtae:

Venter cum tumuiſſet Acciellae
Septem menſibus & novem diebus
Coepiſſetque lien parum dolere,
Accerſi jubet illico obſtetricem,
Quaeri faſciolas & apparari,
Sperata puerum editura partu,
Mox inter medias manus miniſtra
Laxo poplite, cruribus levatis
Lucinam geminans Quater pepedit.

§. XVIII.

Ex hiſce nunc conficitur, mulieribus utique certum pariendi terminum a natura conſtitutum eſſe, ſed eundem tamen ſemper cum aliqua veluti latitudine accipiendum eſſe, nemo hodie cum ratione dubitat. Scilicet ordinarium & maxime naturale pariendi tempus, quotidiana experientia teſte, incidit utplurimum in finem menſis noni & initium decimi, a tempore impraegnationis facta computatione, & intelligendo non tam menſes lunares quam ſolares, quorum cuilibet communiter 30. dies tribuuntur.

(d) *De inſolitis partus viis pag. 15.*

Ut adeo, calculo rite ſubducto, novem ejusmodi menſes ſolares continerent 270. dies ſeu 38$\frac{4}{7}$ ſeptimanas: Lunares e contra complecterentur tantum 252. dies ſeu 36. hebdomades; Et idcirco tales novem menſes ſolares ſuperarent totidem lunares intervallo 18. dierum ſeu 2$\frac{4}{7}$ ſeptimanarum. Atqve ita apparet, agnita ſemel differentia illa inter menſes ſolares & lunares, maxime cavendum eſſe medico, ne errorem calculi evidenter ſaepe palpabilem committendo aut ſuam coram imperita plebe prodat ignorantiam, aut coram mulierculis petulantibus manifeſte ſe proſtituat aut illis deridendum ſeſe praebeat. Neqve citra rationem paulo ſuperius monui, computationem inchoandam eſſe a tempore conceptionis: Ridicule enim initium ducitur a maris & foeminae concubitu, in quo iterum errat ſupra citatus (e) *Lutherus;* Quia toto die experimur, non omnem concubitum eſſe foecundum ac prolificum; Ac proinde fruſtra ab eodem computandi exordium repetitur.

§. XIX.

Huc ergo tandem redit praecipuum totius quaeſtionis momentum, ſicuti ſtatum controverſiae optime talem formavit ſaepius jam laudatus Celeberrimus (f) *Valentinus;* An ſcilicet terminus partus humani in finem noni & initium decimi menſis incidens, adeo certus, abſolutus, inevitabilis & infallibilis ſit, ut omnes alii partus hunc aut anticipantes aut poſtponentes neqve

e) *Cit Diſſ.* §. 4 *p.* 5.
f) *Supplement. Pandect. Medico-Legal. p.* 7.

neque naturales, neque vitales neque legitimi vocari poſſint? Ubi initio ſtatim animadvertendum eſt, naturale hic opponi praeternaturali & ſupranaturali, ſive (prout vulgo hoc exprimere ſolent) quod praeter naturae intentionem contingere ſolet. Per *Vitale* jam ſuperius intelleximus, quod non ſolum vita actu gaudet, ſed & eo partium robore pollet, ut vitam iſtam aliquamdiu tueri posſit. Ac denique per *Partum legitimum* ſenſu medico intelleximus talem, qui ea partium organicarum perfectione gaudet, ut functionibus animalibus edendis par ſit. Quibus ita cognitis perſpicuum eſt, maxime injurios eſſe in pulchrum ſexum, ejusque honeſtati ac famae indelebilem affricare maculam, qui terminum iſtum pariendi conſuetum, ſolemnem & maxime ordinarium, usque adeo abſolutum, inevitabilem ac infallibilem ſtatuunt, ut ab eodem ne latum quidem unguem naturae recedere integrum ſit atque permiſſum: Haec enim tale abſolutum decretum, quod necesſitatem quaſi plus quam Stoicam inducat, prorſus ignorat.

§. XX.

Hanc noſtram hypotheſin per omne animantium brutorum genus eleganter videmus eſſe confirmatam: Obſervatio enim vulgaris eſt & domeſtica, pullos gallinaceos non uno eodemque die omnes utut vitales, teſtas ſuas perrumpere, ſed ex iis, quae centrum occupaverant, ovulis, pullos longe citius excludi & reliquos ſaepius, qui ex ovulis in circumferentia poſitis, tanti quippe caloris non capacibus prodierunt,

 per

per integrum triduum vel quatriduum anticipare. Quod ergo pariendi tempus in animalibus *Ariſtoteles* maxime certum & infallibile eſſe docuit, idem ſimiliter ac in homine cum aliqua veluti latitudine accipiendum eſſe, rectiſſime notavit *Zachias*, idemque obſervationes eorum, qui hiſtorias animalium conſignarunt, teſtantur. Et qui vel leviter tantum attendit ad ea, quae ab hortorum vel agrorum cultoribus quotidie peraguntur, illi obſcurum eſſe nequit, ſemina uno eodemque tempore terrae mandata nunquam aequaliter progerminare, ſed pro diverſitate ſoli ſive benignioris ſive ſterilioris modo citius modo tardius germen ſeu plantulam, quam intra capſulas ſuas recondunt, protrudere, imo & fructus unius ejusdemque arboris non omnes aeq; ad maturitatem adſpirare, quotidie videmus. Quanto vero ſolemnius adhuc diſcrimen illud exſerere ſeſe debet in ipſis foemellis humanis, ubi tanta eſt diverſitas victus & alimentorum, temperamentorum, animi pathematum aliorumque motuum violentorum, tam externorum quam internorum, pro quarum cauſarum indole non debet non magna, ratione termini partus, diſcrepantia oriri, illeque nonnunquam anticipari, nonnunquam vero poſtponi: Quae omnia tam clara & ubivis obvia ſunt, ut in medio ſole coecutire dicendus foret, qui dictorum veritatem non comprehenderet.

§. XXI.

Quamvis itaque ordinariam humani partus periodum non in puncto conſiſtere, ſed cum aliqua veluti latitudine capiendam eſſe, in ſuperioribus affirmaverim;

verim; Eo ipſo tamen patulam veluti januam laxandam non eſſe impudicis & effrontibus mulieribus, ſed effraenem earundem licentiam fraudibus circumveniendi & maritos & medicos, potius coërcendam ac terminum iſtum prudenti veluti temperamento conſtringendum, neque plus juſto extendendum eſſe arbitror. Ut igitur tandem ad concluſiones, quae ex hiſce praemiſſis adhuc deducendae reſtant, tranſeamus, operoſa ſane probatione non eget, partum *trimeſtrem*, *quadrimeſtrem*, imo & *quinquemeſtrem* incipientem *vivum* quidem, non tamen *vitalem* nec proinde *legitimum* eſſe, quod eo tempore integram & perfectam organorum ſuorum conformationem, talem ſaltem nondum habeant, ut aura hac vitali & alimentis frui atq;adeo *in vivis* permanere posſint. Atque hac in re univerſalis quaſi Medicorum tam veterum qvam modernorum eſt conſenſus, unanimiter affirmantium, partum *trimeſtrem*, *quadrimeſtrem* & *quinquemeſtrem* incipientem *vivum* quidem, non tamen *vitalem* nec *legitimum* eſſe.

§. XXII.

Aliter ſentiendum eſt de partu (*) *Quinquemeſtri completo* & magis adhuc de *ſemeſtri*: Hiſce enim menſibus partus omnibus ſuis numeris abſoluti & perfecti, atqve adeo vere *vitales* & per conſequens *legitimi* ſunt: Etenim *Lutherus*, quem jam ſuperius aliquoties allegavimus, ipſemet confiteri coactus eſt, ſub principium NB. menſis quinti omnia ac ſingula membra, artuum item muſculos & oſſa partesq; cutaneas,

 quas

* *Confer* Sectionis poſterioris *Spec. primum* §. 7. *ubi, re penitius expenſa, hanc noſtram ſententiam emendabimus; Id quod hic monere, conſultum duximus, ne quis contradictionis nos coarguat.*

quas ultimo loco perfici *Harvacus* perhibet, ungviumq; diſtincta cerni veſtigia, imo ex ipſius foetus motibus, formationem peractam eſſe, rectiſſime colligi, ac denique plus vel minus *vitales* eſſe, prout vel longius vel brevius a termino *naſcendi* ordinario recedunt, ſemper tamen imbecilliores, inconſtantis valetudinis & rariores eſſe: Si vero partum *quinquemeſtrem* & magis adhuc *ſemeſtrem* perfecte conformatum, motus locales edere capacem & *vitalem* pronunciavit, quid ipſum amplius morabitur, quo minus eundem quoque *legitimum* pronunciet? Licet enim ejusmodi partus ſint rariores, falſum tamen eſt, eosdem ſemper eſſe imbecilliores & inconſtantis valetudinis: Ita (g) *Montuus* exemplum habet cujusdam pincernae Regis Chriſtianisſimi, *Henrici*, qui menſe quinto natus erat, & ſua adhuc tempeſtate in aetate conſiſtente etiamnum vivebat. Simile exemplum de puella *quinquemeſtri*, quae ſua aetate adhuc vivebat, plus quam duodecim jam annos nata, refert (h) *Franciſcus Valleſius*. Qui plura legere cupit, evolvat (i) *Schenckium*, & (k) *Horatium Augenium*. Et ne ſola pugnare videamur experientia, videmus ſane, ipſam quoque rationem auxiliatrices nobis manus ea in re porrigere: Quidni enim mulier corpulenta, plethorica, victu pleno & laudabili utens, nullis ingratis animae pathematibus turbata, completo menſe quinto vel ſexto, partum ſanum, *vitalem* ac proinde etiam *legitimum* excludere poſſet? Cum toto die experiantur hortulani, quasdam plantas aliis in eodem genere

g) *Anaſc. morbor. L. 4. cap. 41.*
h) *de philoſoph. Sacr. Cap. 18.*
i) *Obſ. Lib. 4. p. 131. & 132.*
k) *de part. human. L. 1. C. 21.*

genere longe citius ſuos flores protrudere, imo & fructus ad maturitatem perducere, propter differentem tantum ſoli, ſucci alimentarii & caloris aliarumque circumſtantiarum genium.

§. XXIII.

Quod *Septimeſtrem Partum* attinet, eum & *vitalem* & *legitimum* jam dudum *Hippocrates*, *Ariſtoteles*, pluresq; ſequiores medici, imo & JCti, *Hippocratis* auctoritate ſuffulti pronunciarunt; Solus (l) *Ammannus* tam moroſus eſt, ſuſpicax & in ſexum venuſtum usque adeo injurius, ut ejusmodi partus ad amores meretricios promiſcue referre non vereatur: Nec enim menſe ſeptimo ullum *vitalem* naſci, nec natum unquam fuiſſe ab incunabulis orbis audacter pronunciat, dignus propterea, quem nulla unquam *venus Lipſica*, amplexu ſuo dulci dignata fuiſſet. Miror vero, cur auſterus iſte *Cato* tam evidentibus authorum obſervationibus adeo pertinaciter ſeſe oppoſuerit atque ſic omnem fidem hiſtoricam tam frivole ſuſpectam reddere allaboraverit: In virum enim bonum alias non cadit ſuſpicio. (m) *Franciſcus de le Boe Sylvius*, ſeptimi ab impraegnatione menſis extremum pro naturali pariendi tempore habere non dubitat, cum integrae dentur familiae, in quibus omnes liberi ſint *ſeptimeſtres*: Qualem familiam honeſtam & inter cives primariam ſeſe ſuo tempore noviſſe in Germania refert, in qua hoc in tertio gradu factum obſervavit, quoad ipſas foeminas: Aliquot enim notavit ſorores, quarum foetus omnes erant *ſeptimeſtres*, quod

l) *Iren. Num. Pomp. cum Hipp. p. 68.*
m) *Prax. Med. Lib. 3. C. 7. §. 19. & 20.*

quod idem evenerat ſemper ipſarum tum Matri tum aviae maternae. Huic merito jungendus eſt Clar. (n) *Valentinus*, qui ſimiliter caſus ejusmodi ſibi cognitos eſſe candide profitetur, ubi matronae honeſtisſimae famaeque integerrimae, tempore puerperii de novo impraegnatae, ſeptimo menſe partum omnibus numeris abſolutum & ſucceſſive ad virilem conſiſtentem aetatem evectum in lucem ediderunt. Futilis itaque nulliusque ponderis eſt perſuaſio eorum, qui *ſeptimeſtrem* numero vitalium excludendum & nonniſi *nonimeſtrem* omnibus numeris conſummatum in lucem publicam legitime producendum fabulantur.

§. XXIV.

Aſt gravior adhuc mirandi cauſa ſubeſt, quis impetus *Hippocratem* ita in transverſum egerit, ut *partum octimeſtrem*, quippe termino pariendi ordinario propiorem tanquam abortivum, & qui ſecundum naturam vivere nequeat, conſideraverit. Ita enim (o) *Hippocrates* loquitur: *Puer* ſeptimeſtri partu *natus, pro ratione natus eſt & vivit, & rationem talis habet ac numerum ad hebdomades ſeptenarium exactum:* Octimeſtris *autem nullus unquam vixit.* Et (p) alibi: *De* partu octimeſtri *ſic ſentio: Impoſſibile eſt, ut duas conſequenter ſuccedentes afflictiones pueri ferre poſſint, & propterea* octimeſtris *non ſuperſtes manere; Contingit enim, ipſos conſequenter affligi tum ea, quae in utero fit, afflictione, tum ea, quae in partu accedit & ob id nullus* octimeſtris vitalis *eſt.* Hiſce enunciatis *Hippocraticis* tanquam

n) *Vindiciis adverſus diſſ. Fridericianam D. Lutheri p. 8.*
o) *Libr. de aetate p. 313. n. 22. edit. Lind.*
p) *Libr. de part. octimeſtr. ſtatim in principio.*

tanquam ex tripode promanantibus tantus & Medicorum & JCtorum imo integrorum Collegiorum tam Medicorum quam Juridicorum coetus ſeduci ſeſe paſſus fuit, ut unanimi fere ore & conſenſu *partum octimeſtrem* tanquam *illegitimum* declaraverint. Ex Medicis & Philoſophis antiqui tantum non omnes, quorum catalogum & ſententias (q) *Bonaventura* collegit & exhibuit, & multi quoq; ex recentioribus *legitimitatem partus octimeſtris* oppugnant, uti ſunt D. (r) *Irenaeus Vehr*, qui etſi foetui *octimeſtri* prae *ſeptimeſtri* majorem concedat praerogativam, atque ita *octimeſtrem vitalem* eſſe poſſe concedat: Attamen talem partum, cum ſibi ſolus ad vitam ulteriorem propagandam raro ſufficiat, ſed ad ſtatum usque tempus ſingulari plerumqve diligentia refocillari poſtulet, nonnunquam inſuper in perfectionis conſummatione aliquantulum deficiat, debilioriſqve valetudinis, & brevioris vitae ſit, legitime editum fuiſſe, dici non poſſe, atque hinc ſuo modo quendam quaſi abortum vocandum eſſe concludit. Eidem ſententiae jam olim patrocinati fuere D. *Reudenius* & D. *Hornius*, quorum (s) *Ammannus* meminit, & quorum *prior* ad quaeſtionem: An *partus ſeptimeſtris* & *octimeſtris* in noſtro climate perfectus, maturus, naturalis & legitimus dici queat? Reſpondit: Terminum partus, cujus caſus mentionem injicit, continere 224. dies, atque juxta calculum *Hippocratis*, 30. diebus pro uno menſe computatis, incidere in medium menſis octavi: Quo poſito concludit, potuiſſe quidem filiam iſtam nuptiarum die concipi, aſt poſt partum in vivis non manere:

F Etenim

q) *In X. Libr. de natur. part. octimeſtr.*
r) *Diſp. de Abortu.*
s) *Medic. Crit. a p. 31. ad 59. incluſive.*

Etenim, juxta omnium Philoſophorum & Medicorum ſententiam, *octimeſtris* foetus editionem partus quidem nomen, non abortus, promereri, ſed nec *vitalem* nec *legitimum* dici debere contendit: *Poſterior* vero ad eandem quaeſtionem ita reſpondit: Quod, cum calculo inito tempus partus non ſolum 7½ ſolares ſed & totidem cum 7. diebus lunares menſes conſtituat, *partus octimeſtris* prodeat, qui teſte *Hippocrate* & *Galeno* nullibi, niſi in *Ægypto*, vitalis eſſe conſveverit, haec autem, de qua loquitur casus, puella integre conformata & vitalis adhuc extiterit, ideo propter hanc rationem pro *partu legitimo* haberi non poſſe infert. Atque horum medicorum judicium confirmavit poſtea integra *Facultas medica Lipſienſis* ſequentibus verbis: *Octimeſtrem* quod concernit, cum Anteceſſoribus noſtris unaminiter concludimus, quod nullus eorum octavo menſe natorum vitalis ſit, & hoc juxta *Hippocratem*: *Menſe octavo natus nullus unquam vixit.*

§. XXV.

Eadem *Hippocratis* veſtigia premunt quoqve plurimi JCtorum non tantum antiquorum & recentiorum, ſed & integrae Facultates Juridicae eidem adſtipulari non dubitarunt; Quos omnes prolixa ſerie enarravit, ſimulq; *partus octimeſtris legitimitatem* defendit ac probavit, imo & in compendio Tractatu ſupra allegato exhibuit *Illuſtris D. Stryck*: Ut adeo nos laboribus iſtis ſuperſedere valeamus.

§. XXVI.

Hiſce vero efficaciſſime ſeſe opponunt plurimi Medicorum & JCtorum modernorum, qui *partui octimeſtri*

meſtri ejusdemq; *legitimitati* favent. Ex medicis primus in ſcenam prodeat (t) *Diemerbroeck*, qui poſtea quam *Regium* cum evacuatione ſua critica ſplendide nugantem traduxit, tandem concludit, vitam octavo menſe natis non magis certe denegandam eſſe, quam ſeptimo natis, cum experientia quotidiana doceat, octavo menſe natos, non minus vivos permanere, quam ſeptimo natos; Nec ulla ſufficiens ratio huic experientiae contraria eſſe queat. Namſi ſeptimo nati poſſunt eſſe maturi, uti a nobis jam antea oſtenſum eſt, cur non etiam octavo nati? Et quare hi non aeque bene ferent aëris vim alimentorumque mutationem, quam illi? Imo quare non melius, cum ſint adultiores? Et aliquibus interjectis aſſerit, in *Belgio octimeſtrem partum* ſatis feliciter ſuccedere & *vitalem* eſſe, idque adeo innotuisſe, ut de eo minime dubitandum ſit. Huic merito jungimus (u) *Franc. de le Boe Sylvium*, qui plures foetus humanos *octimeſtres* non ſolummodo *vivos*, ſed & *vitales* obſervavit: Idemque conſtare & indubitata experientia, & plures quoque occurrere *partus octimeſtres* humanos naturales, idem ſuadere ac perſuadere ſimul rationem. Neque omittendus hic eſt (x) *Job. Sperlingius*, qui eodem collimat, firmas ſc. rationes dari non poſſe, aut ex foetus aut ex matris natura, quae probent, *octimeſtrem* partum non eſſe *vitalem*. Inter JCtos quoque modernos non pauciores deprehenduntur, qui ejusdem *partus octimeſtris vitalitatem & legitimitatem* defendunt; Ex quibus inſtar omnium allegaſſe ſufficiat

t) *Anatomes corp. hum. L. 1. Cap. XXXIV. p. 324.*
u) *Prax. med. Lib. 3. C 7. §. 23.*
x) *Tract. de Format. hom. in Uter. quaeſt. 1.*

ciat *Illuſtrem Dn.* (y) *Stryckium*, qui cum Philoſophorum illud aſſertum de imperfectione partus octavi menſis tanta particularitate niti obſervaret, non dubitavit in jure eundem pro juſto habere ac legitimo. Eandem *partus octimeſtris Legitimitatem* agnoſcit quoque *Henricus* (z) *Hahn*, qui fatetur, illum haud quidem frequentem, ſed tamen menſi nono ac decimo eſſe propiorem: Hinc perfectiorem ejus naturam propter temporis diuturnitatem aeſtimat, cum majus habeat robur, & ſolidiora membra, magisque formata, calorem quoqve vegetiorem &c. Quibus & accedunt (a) *Struvius*, (b) *Carpzovius* & (c) *Schoepfferus*, qui etiam varia adducit pro *partu octimeſtri* praejudicia non tantum *Scabinatus* ſed etiam *Facultatis Juridicae Lipſienſis*, *Wittenbergenſis*, *Jenenſis*, *Helmſtadienſis*, *Roſtochienſis* &c. Unde modernos hoſce JCtos hypotheſin antiquorum penitus dereliquiſſe evidenter liquet.

§. XXVII.

Aſt fortaſſe iſtis antiquioribus ſive Medicis ſive JCtis, imo & nonnullis recentioribus ſonticae fuerunt cauſſae, cur *partum octimeſtrem* tanquam *abortivum* & *illegitimum* declaraverint? Imo vero nullae: Vere enim in illos quadrat, quod de JCtis ſui temporis obſervavit (d) *Bonaventura*, eos nempe Medicorum teſtimoniis ſuffultos, ad ſententiam eorum quaſi tempeſtate delatos, ad

y) *Tract. all. de Jur. Senſ. Diſſert. 1. p. 43. circa fin.*
z) *ad Weſenbec. parat. de ſtat. hom. n. 3. verb. poſtquam nati.*
a) *in tit. de ſtat. hom. Exerc. 3. th. 4.*
b) *Part. 4 C. 27. D. 14.*
c) *Diſp. alleg. de part. octimeſtr.*
d) *de part. octimeſt. Lib. 1. c. 1.*

ad eam tanquam ad ſaxum adhaereſcere,& opinionem, quam adamarunt, pugnaciſſime defendere atque errare malle, quam ſine pertinacia, quid conſtantiſſime dicatur, exquirere. *Primam* eamque principem rationem jam ſuperius ex *Hippocrate* adduximus, quod nempe partus omnis ſeptimo menſe exitum tentet & ad parturiendum matrem ſollicitet: Cum vero in hoc egrediendi molimine ſummopere ſeſe defatiget, atq; ita duas continenter conſequentes afflictiones ſuſtinere nequeat: Hinc, ſi nihilominus egrediatur *octavo menſe*, nullis quippe induciis ipſi ad reſtaurandum vires deperditas conceſſis, non videri, quomodo talis *partus octimeſtris*, etiamſi *vivus* edatur, ſupervivere queat, adeoque conſiderandum merito, tanquam ſi natus non eſſet. Tam falſum vero eſt, quam quod falſiſſimum, foetum omnem ſeptimo menſe exitum moliri & ad partus labores matrem invitare: Ejusmodi enim dolores partus procul dubio ſeptimo menſe ſentirent mulieres, utpote exquiſitiſſimos & atrociſſimos; Hoc autem cum nulla ſolida & conſtanti experientia comprobatum ſit, manifeſte ſequitur, illam qualemcunque debilitationem foetus eſſe chymaericam, adeoque effectum ejusdem nullum. Violentiores quidem motus ſubire foetum ſeptimo & octavo menſe, fatentur omnes mulieres, qui & ipſo quoque ſenſu deprehenduntur, ſed longiſſime illi differunt a motibus & calcitrationibus dolorificis, quas excitat foetus circa finem menſis noni aut initium decimi, ubi vere matrem ad ejusdem excluſionem ſollicitat.

§. XXVIII.

Altera, quam vulgo adducunt, ratio, meras aſtrologiae judiciariae ineptias ſapit: Praeſupponunt enim, quod adhuc in quaeſtione eſt, quemlibet Planetam ſingulis menſibus ſingularem exercere efficaciam in foetum, ac potisſimum *Saturnum* duro & iniquo aſpectu intueri *foetum octimeſtrem*, a cujus proinde maligno vapore ille aut gravisſime aegrotet, aut plane intermoriatur. Quot verba, tot nugae! Quis enim conſenſus uteri & foetus in eo concluſi cum aſpectu *Saturni* ſive benigno ſive maligno? Unde didicerunt Aſtrologi, *Saturnum* in *foetum octimeſtrem* aliquod obtinere dominium, & cur hoc tempore iratior, malignior & infenſior eſt, quam alio? Hi ſunt fructus ex arte vana, ſtolida & irrationali reſultantes. Impoſtores vel ſaltem nugivenduli ſunt *Aſtrologi*, cum *Chiromantis* & *divinatoribus* per puncta in eodem cenſu habendi, turpisſime toto die ſeſe proſtituentes. *Regium*, qui numeris etiam non vulgarem tribuere videtur efficaciam, atq; veluti evacuationem quandam criticam, ſeptimo demum menſe tanquam critico ſalutarem, qualem alias in febribus ſolemniter obtinere videmus, ſibi imaginatur, rectisſime ludibrio expoſuit & caſtigavit (e) *Diemerbroeck*. Quid enim, inquit ille, dicemus de *partu nonimeſtri*, qui non eſt criticus, & tamen frequentisſimus maximeque ſalutaris? Quid item de *Decimeſtri*? Certe corporis foetus non fit ulla effervescentia, ut fit humorum &c. Ita ergo animi anguntur & ad figmenta longe abſurdisſima recurrere coguntur, qui *Hippo-*

e) *Anat. corp. hum. L. 1. C. 34. p. 324.*

Hippocratem κατα ποδα, ubi ſolida experientia deſtituitur, ſequuntur. Caeterum totum hoc negotium prolixo in tractatu proſecutus eſt *Bonaventura*, ut vel verbulum addere ſupervacaneum ſit.

§. XXIX.

Si igitur, ut jam oſtendimus, *Hippocratis* ejusque ſequacium rationes ficulneae nulliusque ponderis ſunt, nihil nos amplius morabitur, quo minus *partum octimeſtrem vitalem* ac *legitimum* pronunciemus: Quo enim foetus ad terminum pariendi naturalem propius accedit, eo etiam magis erit *vitalis*, adeoque nihil certius, quam *octimeſtrem* ipſo *ſeptimeſtri* magis *vitalem* eſſe, quia ad ordinarium iſtud parturiendi tempus magis appropinquat. Et huic rationi egregie ſuccurrunt diutinae authorum obſervationes: (f) *Schoepfferus* enim refert, bina ejusmodi *partuum octimeſtrium vitalium* exempla unius anni ſpatio audiviſſe *Roſtochium*, quorum alterum Facultati oblatum ſit, alterum vero in ipſa civitate *Roſtochienſi* contigerit. *Diemerbroeck partum octimeſtrem* in *Belgio* ſatis feliciter ſuccedere & *vitalem* eſſe annotavit, & *Bonaventura* tres ejusmodi partus *octavo menſe* ſanos & incolumes natos vidit. Ut taceam, ipſum quoque (g) *Cardanum* referre, *Vincentium Pinellum*, una cum ſorore gemella, uti & *Cardinalem Sfondratum*, amboſque ejus filios primam lucem *octimeſtres* vidiſſe.

§. XXX.

f) *Cit. Diſp. de part octim. C. 3. n. 29.*
g) *Lib. 1. Tract. 3. Contradict. 8.*

§. XXX.

Fuſe hactenus oſtenſum eſt, ad ſolam *vitalitatem* medico attendendum eſſe, ſi de *partus legitimitate* ſolidum ferre cupiat judicium. Supereſt itaque, ut paucis adhuc ſubnectamus ſigna, ex quibus ad *vitalitatem* foetus validisſime concludere licet. Si igitur quinto completo, ſexto, ſeptimo vel octavo menſe partus naſcatur, i. e. vel ſecundum ordinarias naturae leges ex utero per ſpasmorum violentiam expellatur, vel per *ſectionem* quodammodo *Caeſaream* ex eodem extrahatur, atque non ſolum integra omnium partium organicarum conformatione gaudeat, ſed &, cum naſcitur, pro ratione virium motricium, quibus pollet, ſeſe commoveat, vocem edat vel ploret, & ſtercora alvina rejiciat, de ejusdem *vitalitate* dubitare non licet. An vero diu ſuperſtes ſit futurus ejusmodi foetus, illud determinare extra ſphaeram activitatis Medici poſitum eſt, imo nec neceſſarium: Quia, ut docet *Illuſtris D.* (h) *Coccejus*, ſufficit, partum vel momento temporis *vitalem* fuiſſe, licet in continenti & ne edita quidem voce iterum moriatur. Si vero e contra Partus naſcatur cum magna organorum corporeorum imperfectione, cute & ungvibus aut careat, aut ſaltem communia illa corporis integumenta valde habeat pellucida, nullum edat motum membrorum, nec vocem emittat, nec meconium rejiciat, nec ſimilia peragat, talem partum *immaturum, abortivum* & non *vitalem* eſſe, rectiſſime concludet Medicus. An vero ſeptem horarum ſpatio expectandum ſit, ut rite diſcernatur, an

h) *Lib.* 3. *C. de poſt. & l. haer.*

an partus dictis menſibus editus victurus ſit nec ne, uti (h) *Macrobius* ſomniavit, id fundamento omni deſtituitur, & gentilem non niſi ſuperſtitionem redolet: Numeris enim, qua talibus, per ſe nullam ſingularem ineſſe efficaciam, jam ſupra monuimus.

§. XXXI.

Quemadmodum autem hucusq; clare evicimus, foetum poſſe ordinarium illud ac maxime conſvetum pariendi tempus, quod in finem noni & initium decimi menſis incidit, anticipare, uti in partu *quinquemeſtri completo, ſemeſtri, ſeptimeſtri* & *octimeſtri* oſtendimus: Ita nihil impedit, quo minus idem ille terminus quoque poſtponi, atque adeo partus *decimeſtris, undecimeſtris ac duodecimeſtris, vitalis* & *legitimus* in lucem hanc publicam prodire queat: In horum vero partuum exemplis recenſendis non erimus hic prolixiores, ſed curioſum lectorem ad (i) *Schenckium* & (k) *Zacchiam* remittemus. Quas vero idem *Schenckius* compilavit obſervationes de partu duorum annorum loquente & gradiente, piget pluribus hic referre. Pudeat ſane Medicinae Doctorem & ſimul Profeſſorem, qualis erat *Schenckius*, tam putidas & ſuperſtitioſas fabellas Libris obſervationum ſuarum inſerere. Quis enim unquam audivit, puſiones in utero matris loqui aut greſſus inſtituere? Miror, cur non etiam eundem Philoſophiam & artem ſaltandi, vel potius more Gallorum (la Bourrée, menuette v. g.) tripudiandi in utero mater-

h) *In Somnio Scipion. L. 1. C. 7.*
i) *Obſ. Medicinal. Lib. IV. p. 137. 138. & 139.*
k) *Quaeſt. Med.-Legal. L. 1. Tit. 2. Quaeſt. 6.*

no didiciſſe finxerit. Ex his ſane indolem pueri hujus ſuppoſititii meretriciam vel manibus quoq; craſſiſſimis palpare potuiſſet. Interim rident in ſinu ſuo tacite verſutae mulieres, cavillantur & ſtupent profundam talium Medicorum ignorantiam, ſtultitiam ac ſimplicitatem.

§. XXXII.

Caeterum quod cauſſas attinet, a quibus ordinarium illud pariendi tempus poſtponi & retardari nonnunquam poteſt, adeo ut decimo, undecimo, &c. menſe demum prodeant infantes, illae ſane Medicis inter Gynaecea verſantibus non poſſunt eſſe obſcurae: Si enim gravida vel diuturno animi moerore ob maritum vel aliud bonum, quod magni aeſtimavit, amiſſum, confecta, debitum foetui ſuo alimentum ſubtrahat, cur miraremur, partum ad menſem decimum usq; & ultra retardari poſſe: Quale exemplum refert (1) *Godofredus; Pariſiis* ſc. arbitrio doctiſſimorum Virorum ad poſſeſſionem bonorum admiſſam fuiſſe viduam *decimo quarto menſe* enixam, eo quod apud defuncti haeredes vixiſſet perpetuo diligenter aſſervata, nec unquam à latere uxorum haeredum iſtorum digreſſa; haeredibus inſuper non ſolum pudicitiae honoriq; ejus nihil objicientibus, ſed amplum etiam de ſolemni ac perpetuo ejus ob mortem mariti luctu teſtimonium praebentibus. Vel ſi gravida laboraverit febre ſive intermittente tertiana vel quartana, ſive acuta & continua, utpote quibus vires enormiter exhauriuntur, ipſaeq; matres in periculum vitae nonnunqvam praecipitantur. Qualis autem conditio eſt ipſius matris, talis etiam ſit foetus

1) *Ad Novell. 39.*

foetus neceſſe eſt; quia hic vivit vitam cum matre communem. Nonnullis ſupervenit ciborum inappetentia & nauſea, aliae vero enormes patiuntur uteri haemorrhagias, aliae aliis tam animi quam corporis pathematibus ſubjiciuntur. Quid ergo mirum, foetum tandem neceſſario nutrimento defraudatum viribus ſufficientibus non pollere ad carceres, quibus includitur, effringendum & in lucem publicam prodeundum. Qua in re eo minus nobis relinquitur dubii, quo frequentius obſervamus, nonnullos infantes feliciſſime proficere, & in ſtaturam proceram adoleſcere, alios e contra nodoſo & truncoſo frutici ſimiles in humum ſemper deflecti: Quos diverſos nutritionis ſive felicis ſive infelicis effectus ſi videamus extra uterum, quare non eveniant iisdem in utero materno adhuc commorantibus; Haec vero omnia magno ſupercilio contemnit (m) *Ammannus*, atqve omnes *Poſthumos* eidem errori calculi ac partus ordinarios obnoxios eſſe contendit; Quo jure vel injuria, ex antecedentibus facile eſt dijudicare.

§. XXXIII.

Summo tamen in omnibus hiſce rebus opus eſt moderamine & prudentia; Non enim ſufficit haec tantum noſſe in genere, ſed & in individuo: Imo nec hoc tantum, ſed vigili ſemper ſtudio cavendum eſt, ne cum quibusdam terminum partus humani nimis arctis limitibus conſtringamus, eumqve in puncto conſiſtere putemus, vel cum aliis eundem juſto latius extendamus: Utroqve enim modo vel matronarum honeſtarum

m) *Irenic. pag. 78.*

rum famae ac pudicitiae vim faciemus, vel effraeni mulierum impudicarum licentiae fraena nimis laxabimus, quo tamen utroqve vitio nullum in Republica pernicioſius eſt. Quare omnes Medicinae Practicos, Poliatros inprimis & Medicos Provinciales ſerio monemus & hortamur, ut, ſi vel de termino partus humani ſive citiore ſive tardiore, vel de ipſius *foetus vitalitate* coram Magiſtratu publice ipſis deponendum ſit, aequa judicii lance prudenter & circumſpecte omnes ponderent circumſtantias, nec quidquam contra propriam ſcientiam vel conſcientiam agant. Ab hiſce enim eorum judiciis pendent proximi honores, fama, bona, imo & ipſae JCtorum deciſiones. Quae omnia turpiſſime turbabit, quisquis vel ignorantia vel malitia hic peccaverit. An vero, quae in hac Diſſertatione, rationi rectae pariter ac experientiae indubitatae conformia dicta ſunt, applauſum aliquem inventura ſint, vix mihi polliceor: Oportet enim ad hunc effectum obtinendum celebrem eſſe in & extra moenia, oportet in (n) Profeſſione quadam publica conſtitutum eſſe, uno verbo, Authoritate publica pollere: Diis enim minorum gentium non facile creditur, etiamſi quam maxime verum dicant vel ſcribant.

F I N I S.

n) *Cum in* Academia Hallenſi *haec Diſſertatio ventilaretur*, Doctoris legentis *vicibus* Auctor *perfungebatur.*

SPECIMEN ALTERUM MEDICINAE FORENSIS

De Mutilo Medicinae corpore reſarciendo, per *Chirurgiam* & *Pharmaciam* poſtliminio revocandas.

PRAEFATIO.

Mirum & παράδοξον plerisque videbitur, quod inter unanimes medicorum modernorum plauſus & votivas acclamationes univerſum illud & vaſtiſſimum medicinae hodiernae corpus imperfectionis arguam, mancum *idem ac* mutilum *depraedicem, ejusque defectus per* chirurgiam & pharmaciam poſtliminio revocandas *ſalutariter reſarciendos eſſe ſtatuam. Plerique enim in laudes hujus artis immoderatius effunduntur, nec proinde felicitatem eorum, in quibus vivunt, temporum ſatis extollere ſciunt, adeo, ut nonnulli in ea hypotheſεων inventorumque novorum ubertate ambigere haud vereantur, poſſitne a poſteris, utut ingenio-*

ſisſimis & laborioſiſſimis vel quicquam novi adhuc ſuperaddi. Ut vero jam taceam plurima illorum, quae nuperrime demum aut nudius tertius detecta eſſe creduntur, natales ſuos venerandae antiquitati ſine controverſia debere, atque ab hujus facibus omnem ſuum, quo coruſcant, ſplendorem mutuari, ſicuti in ſingulari quodam ſcripto clarius ſimulque fuſius id probatum ivit (a) Theodorus Ianſonius ab Almelooven: *Vehementer tamen ſubit mirari, pleroſque miſerandam, in qua plurimi noſtrorum temporum medici una cum arte ſua conſtituti ſunt, conditionem non advertere, multo minus prae coeco, quo foetus ſuos cerebrinos proſequuntur, amore, de remediis tempeſtive eidem occurrendi cogitare. Quod apparebit luculentius, ſi* priſcos *illos cum hiſce* recentioribus *pauliſper conferamus:* Illi *enim magna*

(a) Tractatu ſingulari de *inventis Nov-Antiquis*, in quo quidem Author cauſam medicorum veterum contra iſtos recentiores optime agit, interea tamen hoc manifeſto laborare videtur vitio, quod pleraque Neotericorum inventa, quae ſine dubio recentioris aevi partus ſunt, indifferenter veteribus ita vindicet, ut e tanto inventorum numero, quae noſtra tempeſtate citra dubium pro novis habentur, vix ullum ſit, cujus in veterum monumentis manifeſta non deprehendantur documenta. Vereor autem, ne multis invitis & obtorto veluti collo obtrudantur inventa, quae ipſis forte nunquam venerunt in mentem. Ejusdem vitii reum ſeſe facere videtur *Geórg. Paſchius Tr. de inventis novis.*

gna non ſolum authoritate pollebant, ſed & apud magnates aeque ac plebem in ſumma erant exiſtimatione, unde & titulum Gratioſorum, *acquiſivere :* Horum *plurimi vero in ſordidiſſimo vivunt* (b) *contemtu.* Illis *ampliſſima concedebantur privilegia & immunitates:* His *vero viliſſima quaeque hodie imponuntur. Olim Pharmacopoei & Chirurgi Medicorum erant miniſtri, hodie Domini: Olim Medici immenſas acquirebant* (c) *divi-*

H 2

(b) Vid. *Gorris* Medicina contemta.

(c) Prodigioſa eſt ſumma, quam praxi ſua acquiſivit Medicus, cujus ex Hieronymo Mercuriali meminit Monſ. le Clerc Hiſtoir. de la Med. troiſiem. part. Liv. I. Chap. II. inſequenti Inſcriptione.

P. DECIMIUS P. L. EROS
MERULA MEDICUS
CLINICUS CHIRURGUS
OCULARIUS VI. VIR
HIC PRO LIBERTATE DEDIT HS. Iↄↄↄ
HIC PRO SEVIRATU IN REMP.
DEDIT HS ∞ ∞
HIC IN STATUAS PONENDAS IN
AEDEM HERCULIS DEDIT HS. ↈ ↈ ↈ
HIC IN VIAS STERNENDAS IN
PUBLICUM DEDIT HS. ↈ ↈ ↈ Iↄↄ ∞ ∞
HIC PRIDIE QUAM MORTUUS EST
RELIQUIT PATRIMONI
HS. ∞ ↈ ↈ

divitias; hodie illorum quam plurimi cum perpetua conflictantur paupertate, & eviluit verſiculus; Dat Galenus opes &c. *Olim Medici jura exercebant in pharmacopoeos; hodie pharmacopoei in medicos, praeparationem ac diſpenſationem medicamentorum privatam ſolenniter ipſis prohibendo. Olim pharmacopoei venerabantur medicos; hodie medici pharmacopoeos. Quis autem dubitabit, Chirurgos aeque ac pharmacopoeos tacite & in ſinu ſuo ridere infelices illos artis ſalutaris practicos, dum vident, partes medicinae maxime reales & eſſentiales a reliquo ejus corpore avulſas atque in ipſos translatas, reales, inquam, & maxime eſſentiales partes, ex quibus non ſolum major ſperanda eſt fama, ſed & lautior in loculos proventus. Cur itaque medicos in alta ſua, qua frui videntur, animi pace & tranquillitate turbarent, & non aequo potius animo paterentur, ut cerebrinis ſuis ſpeculationibus ſeſe paſcant, hypotheſes vel novas effingant, vel antiquas refingant aut reforment, de temperie, ſtructura & uſu partium ſubtiliter non minus, quam ſtrenue & ad ravim usque diſputent, ventriculo interim vacuo ſub cunctis hiſce moliminibus graviter murmurante, & contumelio-*

lioſas querelas in artem & artifices continuo evomente. Interim ut cunctis hiſce malis mature, ſi quae medicina iisdem adhuc ſupereſt, provideatur, nullum ſalubrius perſpicio remedium, quam ſi ſaluberrima ars medica in ſtatum ſuum antiquiſſimum, authoritatem, jura ac privilegia in integrum reſtituatur, h. e. Chirurgia & Pharmacia, tanquam reales & eſſentiales medicinae partes, revocentur & cum eadem denuo uniantur: Sic enim certiſſimus ſum, ignominiam, contemtum, ſorditiem, paupertatem, aliaque mala & incommoda medicorum ipſiusque artis ſua ſponte ceſſatura. Sicuti igitur hoc ipſo vindicabitur medicinae, quod ſuum eſt, eaque antiquo ſuo ſplendori reſtituetur: Ita, non inutilem laborem me ſuſcepturum eſſe, confido, ſi ex antiquitatibus & primis medicinae originibus eruero, quae vetuſtiſſima hujus artis fuerit facies, qua ratione ſucceſſu temporis & chirurgia & pharmacia a reliquo ejusdem corpore fuerit ſeparata, & in chirurgos ac pharmacopœos una cum variis privilegiis & immunitatibus translata, adeo ut praeter diaeteticam & morborum internorum curationem nihil ferme hodie medicis videamus eſſe relictum. Faxit autem ſummum numen, ut, excuſſo metu hu-

mano, & ab omni affectuum intemperie & prae-judiciis auctoritatis liberi, de arduo hoc negotio ita tractemus, ut proximi noſtri commodum & Reipublicae emolumentum inde promoveatur.

§. I.

UT themati noſtro rite ſatisfaciamus, ante omnia diſquirendum eſt, quo ſenſu medicinam, tot praeclaris inventis hodie ſuperbientem, *mutilam* vocemus. (d) *Mutilum alias* appellatur, *cui pars, licet non ſemper principalis, demta eſt, adeo ut totum non amplius integrum conſtituat:* Hac ſignificatione mutilum dicimus hominem, cui alterutrum crus vel brachium detruncatum eſt, quique eam ob cauſam grallis incedere cogitur. Nemini igitur ſcandalum forte praebebimus, ſi eodem quoque ſenſu hodiernam medicinam judicemus eſſe *mutilam & grallis incedentem*, cum principalibus ſuis partibus, veluti totidem brachiis ſeu fulcris, quibus potisſimum innititur, *chirurgia* ſc. & *pharmacia*, ſit orbata. Quod unicuique non difficulter perſuadebimus, qui, ſingulas iſtas medicinae partes, prout vulgo recenſentur, indiſſolubili vinculo invicem colligatas eſſe, animadvertit. Quid enim juvaret, vel exquiſitisſimam ſtructurae corporis ejusdemque functionum habere notitiam, & quid prodeſſet, morboſum quoque ejusdem corporis ſtatum una cum cauſarum tam antecedentium, quam continentium, ſerie exploraſſe, niſi fida & com-

(d) Vid. Micrael. Lex. philoſoph. ad voc. *mutilum* p. 697. & 698.

comprobata haberemus remedia, ſoli demum *pharmaciae* in acceptis referenda? Et cui bono alias *Anatomiae* tam ſedulam navarent operam ſtudioſi medicinae, niſi ut *operationibus chirurgicis*, majori dexteritate adminiſtrandis tandem inſerviat? Si ergo *pharmaciam* & *chirurgiam* a reliquo medicinae corpore ſepares, *mancum* idem, *mutilum* ac *imperfectum* efficies. Atque adeo ſi medicos noſtros modernos *grallatoribus* iſtis (ſit venia verbo) quam ſimillimos eſſe dixerimus, quis jure nos taxabit?

§. 2.

Fuit autem, ſi rem a primis ſuis originibus repetere velimus, tota medicina antiquisſimis temporibus mere tantum *diaetetica* & (e) *chirurgica*: Cum enim primi homines ſimplicisſimo tantum victu uterentur, & a carnibus animalium mactatorum abſtinerent, utcunque etiam a morborum internorum inſultibus vivebant immunes. Nihilo ſecius tamen, quia vita humana tot tantisque aerumnis & caſibus inopinis, vulnerationes vel laeſiones partium non raro inducentibus, eſt expoſita, non aeque commode *chirurgia* poterant carere. Et licet vulnera, ulcera, aliaeque partium

---

(e) Eleganter non minus quam vere antiquum medicinae ſtatum ſic deſcribit Cl. Salmaſius Proleg. in Libr. de homonym. Hyles Jatricae p. 13. *Vetus Medicina in opere tantum conſiſtebat & manu ſola agebat: Unde &* χειρȣργικὴ *omnium antiquiſſima medendi ratio. Herbas legere, ſuccum ex his parare, aegro propinare, vulnera deligare, ſanguinem ſiſtere herbis impoſitis, urere, ſecare, & quaecunque alia manu fiunt, munus olim medici unius fuit, artem ſuam non lingua exercentis, ſed opere.*

um ſolidarum laeſiones utplurimum quoque febrim aliaque ſymptomata interna ſoleant inducere, iisdem tamen paucis quibusdam regulis diaeteticis dextre applicatis poterant occurrere, ut prolixo iterum medicamentorum internorum apparatu opus non haberent: Ex quibus proinde, vetuſtisſimis iſtis temporibus ſolam *diaeteticen* cum *chirurgia* floruiſſe, longe clarisſimum eſt, & manifeſtum inſuper ejus rei documentum praebet mirabilis illa Patriarcharum potisſimum antediluvianorum longaevitas, quam non aliunde rectius, quam a ſimplici illo, quo fruebantur, victu & carnium abſtinentia derivandam eſſe putaverim. Quis enim credat, ad aetatem usque adeo prodigioſam perventuros fuiſſe primos homines, ſi carnium eſui, uti hodierna animalia carnivora, liberalius indulſiſſent? Quandoquidem carnes copiam chyli & ſanguinis ac proinde plethoram gignunt, quae deinde motui ſangvinis depuratorio, ſecretorio & excretorio, quibus ſanguis a ſumma illa, in quam propendet, ad corruptibilitatem proclivitate provide praeſervatur, maxime obeſt. Qua eadem in ſententia nobiscum eſt (f) *Quercetanus* & *Proſper Alpinus*, qui accuratum de *medicina Aegyptiorum* commentarium nobis reliquit. Ita etiam (g) *Dicaearchus* ſcripto nobis communicavit, quod *Saturni* ſeculo longaevi fuerint homines, quia carnes reſpuebant, ſponte ex terra naſcentibus contenti. Neque vero carnibus tantum abſtinebant, ſed etiam potu ſim-

(f) in Diaet. pag. 323.

(g) apud Porphyr. Lib. X. de abſtinent.

ſimplicisſimo aquae ſitim reſtinguebant, uti (h) *Claudius Deodatus* diſerte teſtatur, qui, Patriarchas usque ad tempora *Noae*, quibus uſus vinorum innotuit, ſolo aquae potu uſos fuiſſe, admodum veriſimile exiſtimat; Unde & de eodem ſimplici victu ita cecinit *Ovidius*, ſcriptor profanus:

At vetus illa aetas, cui fecimus aurea nomen,
Foetibus arboreis, & quas humus educat, herbis
Fortunata fuit, NEC POLLVIT ORA CRVORE.

Alii vero alias hujuſce longaevitatis cauſſas, non minori animadverſione dignas, adferunt, quas inter locum ſuum hic inveniunt, quas ab *Hoffmanno*, *Hallenſium* profeſſore meritisſimo, (i) nuperrime adductas eſſe recordamur: Aliam ſcil. fuiſſe ante univerſale illud diluvium globi terraquei ſtructuram, aliam cœli & atmoſphaerae faciem, aerem nempe purum, tenuem, ſolum natale admodum benignum, aquas ſubtiliores ac ſalubriores & alimenta melioris temperaturae. Poſt factam vero totius mundi inundationem ipſas rerum qualitates valde fuiſſe immutatas, & hinc multorum morborum origini anſam ſuppeditatam, quae omnia apud laudatum authorem latius explicata legi poſſunt. Idem haud ita pridem argumentum magna, ut ſolet, ſtyli venuſtate proſecutus eſt in Acad. *Wittebergenſi* (k) *Bergerus*, qui praeter atmoſphaerae per diluvium impurioris factae aliorumque elementorum alterationem,

 quam

(h) in Panth. Hygiaſt. l. 2. c. 2.

(i) Diſſert. de Method. vitam longam acquirendi ejusque cauſis.

(k) Diſput. de vita longa.

quam non excludit, maximopere conſiderandam eſſe vult illam generandae prolis & propagandae familiae curam provectiori demum aetate v. g. anno ſexageſimo ſuſceptam, cum contra nimis accelerata illa ac veluti praecipitata generandi maturitas cum ipſa vitae brevitate non debeat non inevitabiliter eſſe conjuncta. Quemadmodum itaque nimia illa ſeminalis liquoris ipſiusque virtutis generandi praecocitas vitae brevitatem hodieque induceret: Ita mirum videri nobis non deberet, contrariam iſtam generandi productionem maturiori demum aetate ſuſceptam longaevitati Patriarcharum ſolenniter admodum faviſſe. Porro autem cenſu cauſarum longaevitati contrariarum excludendum non eſſe exiſtimat uſum frequentem ſalis atque fermentorum, quod utrumque antediluvianis in ratione victus fuerit incognitum, vel ſaltem non uſitatum, atque a *Noachi* poſteris, inter quos demum eorundem uſus invaluerit, ad haec noſtra tempora propagatum, ſicque nobis vitae brevitatem acceleraſſe, illis vero maſſarum ejusmodi fermentantium neglectum vitam produxiſſe, rationibus non improbabilibus colligere videtur: Ubi inprimis per ſalem intelligit iſtum culinarem communem, cujus uſus tantopere hodie invaluit, ut eodem vix per momentum amplius carere queamus: Per fermentum autem in genere omnem maſſam fermentatione quadam paratam, ſive fuerint eſculenta, ſive potulenta; Huc enim propemodum recidunt, quae praelaudatus author diſputat, de quibus tamen omnibus hic noſtrum ſuſpendimus judicium, benevolo potius lectori ea argumenta pluribus expendenda relinquentes.

§. 3.

§. 3.

Interim hinc liquet, *therapeutica interna*, iſta quidem tempeſtate, non adeo fuiſſe opus; quia rariſſime ex morbis internis propter rationes allegatas aegrotabant: Quod adeo quidem in ea morum integritate & totius vitae temperantia mirandum non eſt, cum hodie adhuc, ubi tamen cupiditatibus ſuis carnalibus indulgentiſſime fraena laxare videntur, homines nihilominus rariſſime ſoleant aegrotare. Quamvis enim plerique medicorum una cum *Hippocrate* unanimiter fere conquerantur, *totum hominem* (univerſos homines) *a natura* (a nativitate) morbum eſſe: Merito tamen contra hos obſervavit, & primus quidem, quantum mihi innotuit, D. (l) *Stahlius*, eſſe hoc enunciatum experientiae contrarium & rariſſime non niſi aegrotare homines: Quod etiamſi verum ſit, attamen miraculo ſimul proximum eſt, *corpus ſc. animale, e mixtione ſumme corruptibili compoſitum & inter media corruptionis organa conſtitutum, ab ipſo corruptionis actu non ſolum non facile laedi, ſed etiam quam diutiſſime ſartum tectumque conſervari, i. e. ſingulos homines per totam ſuam vitam rarisſime aegrotare, & rariſſime omnium contingere, ſingulis hominibus multos morbos, ſimul varios, quique nihil aut parum inter ſeſe habeant commune, ac denique minime omnium contingere corpori humano tales aegritudines, quae non magis a cauſis externis & quidem violentioribus inferuntur, & iis quidem talibus, quae raro ita impetuoſe graſſantur, adeoque rarius quoque nocent: Siquidem leviores illae cauſae externae, eaeque communiores ex ſeipſis parum valerent ad aegritudines in-*

 feren-

(l) Diſp. de infrequentia morborum perſonali.

ferendas: Sed numeroſisſimi potius morbi omnium primo & primario in motu ſeſe exererent, qui, quo magis eſſent repentini & funeſti, eo etiam magis immediate & eminenter nocerent. Ex quibus omnibus magnum illud & hactenus veluti inter medicos inauditum deducit tandem paradoxum conſectarium: *Rariſſimas eſſe & pauciſſimas cauſas, quae varias corpori humano aegritudines valeant immittere, atque adeo hominem in ſumma illa partium, qua fluidarum, qua ſolidarum, utpote valde tenerarum & ad diſſolutionem pronarum proclivitate conſtitutum, rariſſime tamen aegrotare.* Quae omnia uti per experientiam quotidianam ſunt notiſſima ſimulque certisſima: Ita a priori paulo ſolertius medicis inquirendum in phoenomeni hujus admirandi rationes: Quarum principem praelaudatus *Author* (m) alibi videtur collocaſſe in motu illo progresſivo, ſeu circulatorio ſangvinis, tanquam actu quodam mechanico, quo corruptio iſta fermentativo-putredinoſa, ad quam alias Maſſa ſanguinea ex indole ſua admodum propendere obſervatur, felicisſime avertitur. Ac duo potisſimum ex ejusdem ſententia ſunt, quae mechaniſmum iſtum abſolvunt; *Primum* conſiſtit in *motu perpetuo transpreſſorio*, quo *ſangvis* utcunque *flüidus ac depurabilis* conſervatur. *Alterum* vero *in depuratione ejusdem transcolatoria* vertitur, dum ſub iſto per organa colatoria tranſitu *acrior ac fermenteſcens ſanguinis portio* perpetuo ſequeſtratur, ac proinde a reliquo utili ac puro cum ſummo oeconomiae animalis emolumento proſcribitur.

§. 4.

Cum igitur medicinae interius adminiſtratae apud anti-

(m) Diſſert. de motus progresſivi ſanguinis Mechaniſmo.

antiquos pauca legantur veſtigia; Niſi forte actum purgatorium, quem a (n) *Melampode* (o) primum inſtitutum fuiſſe legimus, excipere hinc velimus: Conſequens eſt, eandem magis *chirurgicam*, aut ſaltem *chirurgiam* cum medicina arctiſſimo ſemper vinculo copulatam fuiſſe. Prius enim, quam medici peculiarem curandorum corporis humani affectuum internorum ſcientiam conſtituerent, illamque externas aegritudines ſanandi provinciam in alios devolverent;

Unus erat toto (Medicinae) *vultus in orbe.*

Hinc ergo plerique eorum, quos Antiquitas tanquam

(n) *Melampos* vetuſtiſſimus *Graecorum* Poeta & Medicus fuit, cujus etiam *Homerus* mentionem facit; & *Plinius* Hiſt. Natural. Lib. 5. cap. 5. his verbis: *Melampodis* fama divinationis artibus nota eſt: Ab hoc appellatur unum hellebori genus *Melampodium*. Aliqui paſtorem eodem nomine inveniſſe tradunt, capras purgari paſto (alii legunt paſtore) illo animadvertentem, datoque lacte earum ſanaſſe *Proetidas* furentes. Vid. Galen. Lib. 7. de *atra bile*. Dictus propterea fuit *καθ' ἐξοχὴν καθάρτης*, i. e. purgator.

(o) Saltem antiquiora actus purgatorii ſolemnius in hominibus inſtituti monimenta apud ſcriptores non occurrunt, licet inſimul negari nequeat, antiquitatem hujus remedii tempora *Melampodis* longisſimis paraſangis tranſcendere debere, quia nullum medicationis genus magis naturaliter indicatur, quam actus purgationis: Si quis enim voracitati vel ingluviei deditus ventriculum ſuum praeter modum oneraverit, ſaepiſſime vomitibus vel diarrhoeis ſpontaneis citra aliud ſubſidium externum ab hoc onere liberatur: Unde etiam citra laborioſam ratiocinationem remedii hujus utilitatem ac neceſſitatem obſervaſſe primos homines, admodum hinc redditur probabile. Vid. *Monſieur Daniel le Clerc, Hiſtoire de la Medecine prem. part. Liv. 1. Chap. XVIII. p. 53.*

primos medicinae inventores producit in ſcenam, ob peritiam ſuam chirurgicam, magnam nominis ſui celebritatem conſecuti ſunt. Hoc inprimis nomine innotuit (p) *Chiron Centaurus*, (q) *Saturni* & *Philyrae* filius, utpote qui primus herbis, morbos praecipue externos, vulnera & ulcera magna felicitate curare docuit, quare adhuc hodie ulcera pene incurabilia & ab aliis pro deſperatis habita *Chironiana* vocari conſueverunt: Imo ob ſingularem ſuam, qua pollebat, herbarum notitiam (r) *Magneſii* populares ejus herbarum primitias ipſi immolabant. Dicitur quoque eadem, uti & militari in arte inſtruxiſſe fortisſimos ac celeberrimos temporis ſui heroas, *Herculem*, *Ariſteum*, *Theſeum*, *Telamonem*, *Teucrum*, *Jaſonem*, *Peleum* ejusque filium *Achillem*: Quare eosdem quoque *Chirurgiae* peritos fuiſſe, dubitari nequit. Eadem inter *Graecos* laude inclaruit (s) *Aeſculapius*, qui tamen ad majores perfectionis gradus utramque

---

(p) Quod *Chiron Centaurus* praeter reliquas medicinae partes chirurgiae inprimis operam navaverit, operoſe demonſtravit *Marcus Aurelius Severinus*, quondam Anat. & Chir. in Regia Schola *Neapolitana* Prof. in egregio opere *de efficaci Medicina*.

(q) Ita nos docet *Plinius* hiſt. nat. Lib. 7. cap. 56. Medicinam *Aegyptii* apud ipſos volunt repertam: Alii per *Arabum Babylonis* & *Apollinis* filium: Herbariam & medicamentariam a *Chirone*, *Saturni* & *Philyrae* filio.

(r) *Plutarch.* Sympoſ. Lib. 3. quaeſt. 1. p. 647. *Tyrii Agenori*, *Chironi Magnetes* primitias offerunt, quod ii primi medicinam feciſſe exiſtimantur.

(s) Hic probe diſtinguendus eſt ab *Aeſculapio Aegyptiorum* ſeu *Phoenicum*, qui iſto *Graecorum* multo fuit antiquior. *Cicero* non duos, ſed tres, introducit *Aeſculapios* Lib. 3. de natur. Deor. dum ita

que medicinam evexit, curando non ſolummodo affectus externos, vulnera & ulcera, ſed etiam internos, febres doloresque varii generis per potiones anodynas, inciſiones, aliaque remedia exterius applicata. Magnus praeterea patronus erat incantationum magicarum, amuletorum aliorumque remediorum ſuperſtitioſorum, quae in hodiernum adhuc diem a credulis & ſuperſtitioſis mulierculis, imo & agyrtis ac circumforaneis magno in pretio habentur. Medicinam quoque *Gymnaſticam* aegrotis ſuis commendabat, ipſamque *praxin clinicam*, noſtris temporibus tantopere celebratam, primus exercuiſſe dicitur. Unde poſt haec tempora omnes medici, aegrotantes in lectulis ſuis viſitantes, *clinici* appellati ſunt. Quae omnia rurſus demonſtrant, *chirurgiam* ab ipſo quoque *Aeſculapio* cum reliqua Medicina arctisſime fuiſſe copulatam.

§. 5.

Prodierunt poſtea ex lumbis *Aeſculapii Machaon* & *Podalirius*, haud degeneres patriarum artium haeredes, qui, ut *Celſus* teſtatur, in *bello Trojano* Ducem *Agamemnonem* ſecuti ſunt, ſuisque commilitonibus non mediocrem attulerunt operam: Proinde (t) *Homeri* quoque carmine laudatur uterque: *Chirurgiam* tamen ſolertius

ita loquitur: *Aeſculapiorum primus, Apollinis, quem Arcades colunt; qui ſpecillum inveniſſe, primusque vulnus dicitur obligaviſſe. Secundus, ſecundi Mercurii frater; is fulmine percuſſus, dicitur humatus eſſe Cynoſuris. Tertius Arſippi & Arſinoae; qui primus purgationem alvi, dentisque evulſionem, ut ferunt, invenit: Cujus in Arcadia non longe a Luſio flumine ſepulcrum & lucus oſtenditur.*

(t) Iliad. B.

Τῶν αὖθ' ἡγείσθην Ἀσκληπιοῦ δύο παῖδε
Ἰητῆς ἀγαθὼ, ποδαλείριος ἠδὲ Μαχάων.

Hoſce

tius ipſos excoluiſſe, hinc probabile redditur. Ipſam quoque venaeſectionem proſpero cum ſucceſſu in duobus brachiis adminiſtraſſe fertur (u) *Podalirius* in Regis *Damethi* filia, quae ex alto domus prolapſa fuerat; Unde primum venaeſectionis ſecunda fortuna adminiſtratae exemplum habemus. Quas vero numeroſas idem *Aeſculapius* habuit filias, ſingulae quoque paternae profesſionis fuerunt peritae, id quod vel ex ipſis earundem nominibus liquet: Sunt enim (w) *Hygieia* & *Panacea*, per quas jurare cogebantur aeque ac per *Apollinem* ipſum medicinae Candidati tempore *Hippocratis*, *Panacea* item, *Jaſo*, *Aceſo*, *Aegle* & *Roma*, pleraeque in divis numeratae & ſalutis Deae vocatae. Unde incidenter patet, jam antiquisſimis temporibus ſexum ſequiorem profesſioni medicae ſeſe immiſcuiſſe, ac proinde hodienum vix pati, ut ab eadem excludatur.

§. 6.

Ex eadem *Aeſculapii* proſapia ſuum quoque genus deducit Divus *Hippocrates*, quod ipſemet fateri non erubeſcit, dum decimum octavum in ordine ex familia *Aeſculapii* deſcendentem ſeſe nominavit, uti ex tabula Genealogica operibus ejus *editionis Lindenianae* prae-

Hoſce verſus *Eobanus Heſſus*, non incelebris Germaniae noſtrae vates, ita latio reddidit:

Quos duo ducebant fratres Phœbique nepotes,
Matre Coronide, praeſtantes arte medendi,
Belligerique ambo, Podalirius atque Machaon.

(u) Hiſtoriam hujus medicationis refert *Stephanus Byzantinus in voce* Syrna.

(w) Hanc ſalutis Deam fuiſſe probant veteres Inſcriptiones, quarum primam valde memorabilem adfert Janus Gruterus Corp. Inſcript. p. 67. n. 9. Altera vero apud eundem legitur pag. 68. n. 5.

praefixa videre licet. Quantos in *Anatomia* & *Chirurgia* fecerit progreſſus, legi poteſt apud (x) *Daniel le Clerc*, & libri, quos de officina medici, de vulneribus, de articulis &c. conſcripſit, abunde teſtantur. Quos vero poſt fata ſua reliquit filios, *Theſſalum* & *Draconem*, eadem, prout gentis *Aſclepiadae* conſuetudo ferebat, arte liberaliter inſtruxit. Potiſſimum eminuit (y) *Theſſalus*, qui maximam vitae ſuae partem in aula *Archelai*, Regis *Macedonum* tranſegit, atque proinde hominis admirandi titulum promeruit. Ex quibus omnibus clariſſime videre eſt, *chirurgiam* cum medicina conſtantiſſime fuiſſe copulatam & ab una eademque perſona adminiſtratam. Et quidni? Cum, ut (z) C. *Celſus* optime judicat, non implicet, unum eundemque hominem ea omnia praeſtare poſſe, &, prout (a) alio in loco loquitur, omnes medicinae partes ita invicem innexae ſint, ut ex toto ſeparari nequeant. Qua in re pleniſſime nobiscum conſentiunt cordatiſſimi quique medici, inter quos nominaſſe ſufficiat (b) Conringium, magnum illud *Academiae Juliae* decus, qui in haec erumpit verba: *Apud veteres ſane medici ipſi ſuamet manu omnia medicamenta praepararunt, chirurgiam exercuerunt, vulnera curarunt, emplaſtra adhibuerunt, &, ut verbo dicamus, ſingula artis opera peregerunt, id quod ipſe quoque Galenus praeſtitit, utut ſuos etiam mini-*

K

(x) Hiſtoire de la Medecine prem. part. Liv. III. Chap. 28. p. 218. jusqu' a. 223.

(y) Ita ſcriptum nobis reliquit Galenus in Libr. Hipp. de nat. human. Comment. I.

(z) in prooem. libr. VII.

(a) in prooem libr. V.

(b) Introduct. in art med. cap. I. §. XII. p. 9.

miniſtros habuerit. Similia docet (c) *Hoffmannus Altdorfſinus*, quando inquit: *Uti olim indiviſa erant opera medici, ita hodie quibusdam locis omnia ſunt rejecta in chirurgos dictos, quibusdam quaedam tantum, quibusdam alii faciunt, alii non: Galenus Romae ipſe ſecabat venam, vulnera obligabat, fracturas dirigebat, quod Aeſculapium ipſum cum filiis, totaque poſteritate usque ad Hippocratem feciſſe conſtat. Aquapendens Patavii* per miniſtrum quidem ſecabat venam, ſed ipſe obligabat vulnera & abſceſſus, dirigebat oſſa &c. Quae procul dubio etiam ratio eſt, quare *chirurgus* apud *Homerum* ἰατρὸς καθ' ἐξοχὴν dictus fuerit.

§. 7.

Poſt haec vero tempora, florentibus inprimis *Eraſiſtrato* & *Herophilo*, prout iterum (d) *Celſus* obſervat, ars medica pernicioſiſſimam ac vix ullo tempore plene reſarciendam paſſa eſt diviſionem in tres praecipue partes, ſc. *Diaeteticam*, quae per regulas diaeteticas & ſanitatem praeſentem conſervare & futuros vel imminentes morbos avertere ſtudet, *pharmaceuticam* ſeu *medicamentariam*, quae & medicamentorum praeparationem & diſpenſationem dirigebat, ac denique *chirurgicam*, quae ſolis affectibus externis, manualem adminiſtrationem efflagitantibus, praeſidebat; Quae tamen officia medici cuncta hactenus ab una tantum perſona fuerant adminiſtrata: Quod peſſimum fatalis diviſionis exemplum approbarunt quoque medici *Aegyptiaci*: *Galenus* enim & *Herodotus* teſtantur, ſua aetate diverſas in

(c) Lib. V. Inſtit med. cap. ult. §. 4.
(d) Vid. praefat. lib. I.

in partes medicam artem fuiſſe diſcerptam: Alios enim circa capitis notitiam, alios circa oculorum, alios circa dentium, circa alvi vicinarumque partium alios, circa morbos occultos alios fuiſſe verſatos, hincque factum, ut ſingulorum morborum ſinguli fuerint medici, adeoque omnia medicis fuiſſe referta. Cujus peſſimae conſuetudinis ſeminale fermentum nec hodie penitus extinctum vel eradicatum eſſe, teſtantur integri agyrtarum & circulatorum greges, quorum alii *ophthalmicos*, alii *lithotomos* ſeſe appellare non verentur, alii dentium evellendorum, alii herniarum curandarum, alii ſarcomatum reſecandorum, alii vermium expellendorum notitiam plenis buccis jactitant, qui tamen omnes plerumque nulla reliquarum medicae artis partium peritia, multo minus ulla elegantiori doctrina aut literatura ſunt imbuti. Eſſe interim priſcas illas conſuetudines a noſtrorum temporum moribus plane alienas, vel ex eo liquet, quod hodie vix ex totius artis praxi tantum lucrentur practici, ut familiam honeſte ſuſtentent. Quid quaeſo eventurum foret, ſi ſingulorum morborum ſinguli forent medici? Quantas autem turbas & incommoda pepererit fatalis illa, noxia & nunquam ſatis deploranda functionum medicarum ſeparatio, quotidie adhuc cum ſuo damno experiuntur medici, videntes pharmacopoeos, qui olim medicorum tantum miniſtri erant, non ſolum omne ſibi commodum praeripere medicamentorum praeparatione & diſpenſatione, ſed etiam ipſi praxi clinicae ſeſe immiſcere. Eandem cladem in artem ſaluberrimam introducunt chirurgi & barbitonſores, balneatores & obſtetrices, agyrtae & circumforanei, ſimileque homi-

num genus, a quibus quotidie cum ſummo Reipublicae damno proſtituitur ac turpiſſime profanatur. Ut proinde nimium diductam hanc diſciplinarum, quae uni cuipiam arti abſolvendae famulantur, diviſionem & multo magis ejusdem artis exercitiorum ad diverſos artifices diſtributionem (e) *Veſalius* aliique cordatiores medici non poſſint ſatis deplorare.

§. 8.

Neque rationes triſtis hujus divortii amplius latere nos poſſunt: Peccarunt enim medici *partim faſtu & ſuperbia*, qua profeſſione ſua indignum judicabant, ipſi operi manus admovere: Quapropter viliores iſtas, quae manuum miniſterio perficiuntur, operationes ad alios, ſervos v. g. vel famulos ſuos devolvebant; Quod praejudicium utut perniciosisſimum in hunc usque diem ex animis plurimorum eradicari nequit, quo magiſtros chirurgiae ipſis medicis ſecundum eminentiam ita dictis gradu & dignitate longe inferiores propterea judicant, quod manuum opera utantur, cum tamen, ſi rem ex aequo aeſtimare velimus, chirurgi cum medicis pari ambulent paſſu, ipſaque chirurgia hac medicina interna longe non ſolum antiquior ſit, ſed & certitudine & evidentia tam indicationum curativarum, quam curationis ipſius, longiſſimis paraſangis excedat & ſuperet. Partim vero peccarunt *incuria & inſcitia*; Cum enim miniſtri, qui juſſu medicorum ſerviles & manuarias peragebant operas, continua illa praxi tandem dexteritatem & quendam quaſi habitum acquirerent, imo eadem operandi promptitu-

(e) In praeſat. magni Operis.

ptitudine ipſos medicos facile ſuperarent: Hi laborum pertaeſi veluti connivendo permittebant, ut miniſtri manuales iſtas operationes ſibi vendicarent ac pleno tandem jure in ſeipſos transferrent, relinquentes interea medicis ipſam veluti profeſſionis hujus umbram ac directionem, qua & hi non difficulter erant contenti, dummodo agendi & operandi modum aliis dictitare & praeſcribere poſſent. Partim denique *nimia animi mollitie & effoeminatione* quidam delicatuli voluptatum nepotes delinquebant, ferrum & ignem, tanquam duo heroica chirurgiae inſtrumenta, ipſimet abhorrentes, vulnera & ulcera cacoëthica nauſeantes; manusque vel cruore vel ſordida ſanie collutulare metuentes; Atque ita eo facilius externas corporis aegritudines curandi artem a ſe in alios transferri patiebantur, penitus in eo degenerantes a laudabili priſcorum medicorum, *Aeſculapii*, *Chironis*, *Hippocratis*, *Galeni* aliorumque conſuetudine, qui non minus ſtrenua manuum applicatione, quam ſalutaribus ac prudentibus conſiliis, praeſentem mortalibus attulerunt operam.

§. 9.

Quanta vero haec medicorum dementia fuerit, quod nobiliſſimam medicinae partem a toto ejus ſyſtemate ſeparaverint & in alios devolverint, vel ex eo manifeſtum eſt, quod *chirurgia* iſtam *diaeteticam* internam *certitudine & effectuum evidentia* longiſſime ſuperet. Quod nec ipſe (f) *Celſus*, medicorum *Cicero*, negare potuit, dum ita hac de re loquitur: Cum in aliorum morborum (*internorum*) curationibus dubitari poſſit, ſecundane valetudo medicinae, an corporis, beneficio

(f) in prooem. lib. I. & VII.

beneficio contigerit. In hac tamen parte, quae manu curat, evidens eſt, omnem profectum, ut aliquid ab aliis adjuvetur, hinc tamen plurimum trahere, addo, nonnunquam in totum pendere. Sive enim cum morbis chronicis, ſive cum acutis, medico res ſit, utrobique eundem in anguſtiis verſari liquet, prioribus operam ejus ut plurimum eludentibus, poſterioribus vero ne quidem efflagitantibus. Neque res illa prolixiore eget deductione: Quis enim, ſi *clinicorum* grabbatis per aliquot annos adſtiterit, cum ratione negaverit, multos morbos chronicos indolis admodum refractariae, indomitos ac tantum non invictos eſſe, ut, quo longiores nectunt moras, eo majori artem ignominia affici, quotidie obſervent practici. Hujus farinae eſt epilepſia, ſeu morbus comitialis: Quis hactenus tam felix inventus eſt medicus, qui huic herculi clavam extorquere auſus fuerit? Audiamus ipſum (g) Senem de rebelli ac refractaria hujus morbi contumacia conquerentem: *Comitiales*, inquit, *quibus ante pubertatis annos contingunt, depoſitionem accipiunt: At quibus quintum & vigeſimum annum agentibus fiunt, eos fere ad mortem usque comitantur.* Quis eſt, quem fugiat, febres intermittentes, potiſſimum quartanas autumnales & maxime ad hyemem pertingentes, longiſſimae eſſe durationis, medicamentis omnibus fruſtra adhibitis & ſpe ſua medicum defraudantibus? Quem porro latet, aſthmata convulſiva, potiſſimum inveterata, uti & pathemata hyſterico-convulſiva eſſe mala contumaciſſima, quae vix unquam levamen, multo minus plenam curationem, admittunt? Quid dicam de cepha-

(g) Hipp. aphor. 7. Sect. 5.

cephalaea diuturna, ophthalmia inveterata, ſcorbuto, malo hypochondriaco confirmato, phthiſi, hydrope, lue venerea, & inprimis podagra, variisque ejus ſpeciebus, quae propterea non citra rationem opprobrium medicorum audit? Sane extremae arrogantiae reum ſeſe faceret, quisquis vel hic inſcitiam ſuam, vel artis impotentiam, non agnoſceret. Similis prorſus eſt conditio morborum acutorum; v. g. febrium acutarum ſimulque contagioſarum, malignarum ac peſtilentialium, variolarum, morbillorum &c. a quibus homines plerumque felicius convaleſcunt per ſolam illam naturae avtocratiam, quam prolixam medicamentorum farraginem, teſte inprimis plebe ignobili ac ruſtica, cujus plurima pars ſaepius absque ullis medicamentis, ſolo illo naturae robore ſpontaneo, ex morbis iſtis eluctatur, ubi inprimis cum (h) *Stahlio* per iſtam naturae avtocratiam intelligimus liberationem ac reſtitutionem laeſionum humani corporis ſpontaneam, ſolo miniſterio actuum ſ. n. uſitatorum, ſecretoriorum ſc. & excretoriorum, & quidem ſine concurſu medicationis extrinſecae artificialis perpetratam, pleniſſime ea in re conſentiente *Hippocrate*, & *naturas* eſſe *morborum medicatrices* graviter pronunciante. Quis ergo audebit amplius negare, medicinam illam manuariam longe eſſe certiorem & effectus longe praeſentiores ſpondere, quam quidem iſtam internam, ubi non leves oriuntur ſuſpiciones, an vim morbi ſuperaverint vel medicamenta exhibita, vel ipſa haec, de qua loquimur, naturae avtocratia? Nihil vero contra evidentius eſt, quam venam v. gr. ſecare, tumorem aperire,

(h) Vid. Diſſert. de avtocratia Naturae.

rire, labia vulnerum a ſe mutuo diducta unire & conglutinare, uterum vel anum prolapſum reſtituere & in ſitu ac loco ſuo nativo retinere, foetum mortuum ex utero extrahere, ſarcomata reſcindere, hernias reſtituere, oſſa luxata reponere, membra corrupta & ſphacelata reſecare, dentes carioſos & dolentes evellere, & quae ſunt ejus generis plura.

§. 10.

Neque tantum certitudine ipſorumque effectuum evidentia chirurgia ſuperat medicinam, ſed etiam *operandi efficacia*, unde etiam non citra rationem *efficacis medicinae* titulum a *Severino* promeruit: Malo enim herculeo remedium quoque herculeum opponendum eſt. Secandum nonnunquam & urendum eſt medico, imo & membrum corruptum & ſphacelatum a reliquo trunco reſcindendum ac ſeparandum eſt,

Ne pars ſincera trahatur.

Quam procedendi rationem ipſe quoque (i) *Hippocrates* commendavit, dum inquit: *Quaecunque non ſanant medicamenta, ea ferrum ſanat; Quae ferrum non ſanat, ea ignis ſanat; Quae ignis non ſanat, ea incurabilia judicanda ſunt.* Optandum tantum foret, ut ſerio tandem haec in animos ſuos admitterent aegrotantes, nimiam illam effœminationem ac teneritudinem excuterent, atque adeo forti, conſtanti & intrepido animo fatis ſuis ſeſe ſubmitterent. Sic nullum eſt dubium, quin multos ex orci faucibus erepturi eſſent praeſente auxilio chirurgicarum adminiſtrationum periti medici. Mulierculae inprimis aut gravi & difficili partu laborantes, aut cancro mammarum affectae talibus vel ſimilibus in

(i) Sect. 8. Aph. 6.

in caſibus pudorem, tanquam ſudorem noxium, ex fronte deberent extergere. Sed ſurdis fruſtra narrantur fabulae; Malunt enim praeſentem oppetere mortem, quam efficacem illam, ſed ſimul ſalutarem, admittere medicinam.

§. II.

Pudore itaque ſuffuſos oportet eſſe medicos, qui antiquiſſimam illam, nobiliſſimam, certiſſimam ſimulque maxime efficacem medicinae partem ab hominibus indoctis, quos olim famulorum loco tantum habebant, manibus extorqueri ſibi paſſi ſunt, imo, ut rectius forte dicam, eandem, tanquam illuſtri ſua conditione indignam, prae nimio faſtu, incuria, ignorantia vel effoeminatione animi, ſua ſponte, dimiſerunt. Quid vero jam, hac potiſſimum rerum facie, conſilii? An ſcientia praeſtantiſſima in tonſtrinis barbitonſorum, balneatorum, ſimiliumque hominum ſecure relinquenda? An vero eorundem officinae ſusque deque vertendae, aut magiſtri ſaltem ex iisdem vel obtorto collo expellendi ſunt, eadem fere ratione, qua olim, qui columbas vendebant aut argentariam in *templo Hieroſolymitano* faciebant, ſcuticis expellebantur? Aut an Magiſtratus implorandus, ut exercitium *chirurgiae* ſolenniter ipſis interdicat? Minime gentium: *Primum* namque impium foret, ipſique arti inevitabile tandem pareret exitium. *Alterum* ab inſania manifeſta parum abeſſet, imo politice conſideratum impoſſibile; ac *tertium* denique optandum potius, quam ſperandum. Nulla in re Magiſtratus inferior ſegnius plerumque officium ſuum exequitur, quam in abrogandis abuſibus praxin medicam concernentibus: Unde quicquid etiam

iam obloquatur phyſicus ordinarius, ſuaeque vocationis tenori contrarium eſſe, operoſe demonſtret, haud difficulter tamen impetrabunt circulatores & circumforanei, ut rejiculas ſuas merces in foro publico venales exponant, crumenas ruſticorum emungant, & cum periculo vitae eorum, qui curae ſeſe ſubmittunt, temerarie non minus, quam impudenter, *lithotomias*, *herniotomias*, *cataractarum depoſitiones* ſimilesque operationes ſuſcipiant, quibus ex voto non ſuccedentibus, glorioſus Thraſo exceſſit, evaſit, erupit. Quae tamen omnia eo reſtringenda non ſunt, ac ſi nullos prorſus *lithotomos*, *herniotomos*, *operatores*, *oculiſtas* &c. in republica bene conſtituta tolerandos eſſe exiſtimemus, etiamſi rerum ſuarum apprime ſatagantes adeoque nomine ſuo vere digni ſint: Sed id nihilominus jure efflagitamus, ut a conſiliis & directione medicorum toti pendeant, adeoque fraudibus, circumventionibus & indomitae quidvis audendi, & in vitas & ſanitatem hominum impune graſſandi, libidini ac licentiae quodammodo obviam procedatur.

§. 12.

Si ergo, ut modo vidimus, nec *chirurgia* in officinis barbitonſorum relinquenda, nec vi manifeſta ipſis extorquenda, quid tandem ſpei ac conſilii ſupereſt, eandem ad medicinam revocandi & cum eadem denuo uniendi? Dicam paucis: Profeſſores in Academiis provinciam ſibi concreditam dextre exornare, atque ſtudioſos medicinae adminiſtrationibus chirurgicis mature adſueſcere debent, plane ut veterum *Aſclepiadarum* conſuetudo ferebat, qui πεπαιδευμένες, medica arte imbuendos, primum in iis, quae ad curationem mor-

morborum chirurgicam ſpectabant, inſtituebant, tandemque ad medicinam internam promovebant. Neque vero *Graecorum* tantum ea fuit conſuetudo, chirurgiam medicinae jungendi: Sed ſimile quoque inſtitutum ipſis (k) *Romanis* approbatum fuiſſe, ex antiquis quibusdam monimentis haud obſcure colligimus. Dum autem Collegiorum chirurgicorum in Academiis frequenter inſtituendorum praxin efflagito, non ſolum intelligo chirurgiam illam *pharmaceuticam* ſeu *medicamentariam*, quae in infinita tantum medicamen-

 torum

(k) Nihil certius eſt, quam apud antiquos *Romanos* chirurgiam medicinae conſtanter fuiſſe conjunctam: Quare etiam nonnulli ſecundum eminentiam medici vulnerum vocabantur, quorſum pertinet inſcriptio, quae legitur apud Pignor. tr. de ſervis pag. 71.

CHRESTAE. CONSERVAE. ET. CONJVGI
CELADVS. ANTINOUS. DRUSI.
MEDICUS. CHIRURG.

Quidam illorum *ocularii* vel *ab oculis* dicebantur, quorſum referri poteſt inſcriptio *Romae* prope *collem Hortulorum* inventa:

TI. LYRIUS. TI. CAESARIS.
AUG. SER. CELADIANUS.
MEDICUS. OCULARIUS.
PIUS. PARENTIUM. SUORUM. &c.

Clinicen vero ſic dictam cum chirurgia conſtanter combinatam fuiſſe, ex ſequente Inſcriptione clariſſime videre licet:

P. DECIMIUS P. L. EROS
MERULA MEDICUS
CLINICUS. CHIRURGUS
OCULARIUS VI. VIR
HIC PRO LIBERTATE DEDIT. HS. Iↄↄↄ &c.

torum farragine conquirenda & conſarcinanda laborat, qua in re ſolummodo occupatum fuiſſe *Jacobum Hollerium*, plerique aſſerunt, attamen ſecundum *Johannis van Horne* judicium ab inſania parum aut nihil differret: Sed potiſſimum etiam *chirurgiam* iſtam *manuariam* ſeu *operatricem*, quae in variis operationibus, ſingulari cum dexteritate adornandis, conſiſtit; ad quam rite docendam & tractandam exquiſita *anatomiae* notitia opus eſſe, vel me tacente, quilibet intelligit: Sic enim praxi poſtmodum admoti juniores medici ipſimet, inconſultis chirurgis, operationes ſuſciperent, ſicque eodem ac ſimplici artificio *chirurgiam* reducerent, & cum reliquo medicinae corpore unirent, quo eandem amiſerunt. Neque vero de felici conſilii hujus eventu ac ſucceſſu deſperandum eſt; Sunt enim primo adhuc *in poſſesſione vel quaſi:* Nulli enim chirurgorum hodie permiſſum, ut de vulnerum conditione vel lethalitate apud magiſtratum propria authoritate deponat, ſed, medici, tanquam prudentioris, judicium attendat, neceſſe eſt, per art. 3. Ord. Med. Brand. de anno 1694. Wann zu Beſichtigung der Verwundeten oder Entleibeten ein Chirurgus aus den Ambts-Meiſtern neben dem Phyſico oder Medico, welchem ſolche Beſichtigung committiret / gefodert wird / ſoll derſelbe die Unterſuchung mit behörlichen Fleiß und Behutſamkeit / ohne alle vorgefaſte Einbildung / Praeſumtion, oder partialität verrichten / und des Phyſici oder Medici Veranlaſſung mehr / als ſeinem eigenen Gutdüncken / folgen. Et art. 4. Iſt der affectus von ſonderbahrer Wichtigkeit und Gefahr / ſollen ſie (die Chirurgi) einen verſtändigen Medicum mit zuziehen /

und

und ohne deſſelben Einrathen/ bevorab innerliche Medicamenten / die von einiger Conſequence, als purgantia &c. einzugeben ſich nicht unterſtehen/ & art. 5. Inſonderheit / weil die Erfahrung gegeben / daß durch die Frantzoſen-Cur / ſo per inunctionem mercurialem & ſalivationem geſchicht/unterſchiedliche grobe Fehler vorgegangen / ſo die Patienten mit dem Leben haben gebüſſet / ſollen ſie in dergleichen Fällen ohne aſſiſtence eines Medici ſich hinführo keiner ſolcher Cur vor ihren Kopff alleine unterfangen / bey hoher unnachläßiger Straffe. Si igitur, uti ex locis allegatis apparet, medici in poſſesſione ſunt vel quaſi, nil ſane metuendum, quin pleno tandem jure artem chirurgicam ſibi vindicaturi ſint. Cui ſcopo felicius obtinendo *propria chirurgorum ignorantia* velificabitur: Protruduntur enim quotidie in tonſtrinas homines admodum ignari & ad quidvis potius aliud, quam ad exercendam *chirurgiam* apti, omni *anatomiae* & *materiae medicae* ſubſidio prorſus deſtituti, qui, quo inſolentius & audacius in vitas & ſanitatem hominum debacchantur, eo planiorem medicis viam pandunt, eandem denuo invadendi, dummodo ipſimet eadem non laborent inſcitia, quam in aliis reprehendunt. Nam ſi hi illis aeque imperiti aut forte imperitiores eſſent, non ſolum injuſta foret praetenſio, ſed &, ſi coecus coeco viam monſtraret, ambo in foveam procul dubio praecipitarentur: Quare prudenter admodum hac de re judicat Dn. D. (*l*) *Stahlius*: *Tunc vero*, inquit, *juſtisſimam cenſebimus* a priori, *& factu quoque facilem* a poſteriori *hanc praetenſionem, ut chirurgi aeque ac pharmacopoei ſtrictisſime intra cancellos at-*

 que

(l) Diſſert. de medicinae & chirurgiae perpetuo nexu §. XLII.

que praeſcriptos limites ſuae profesſionis ſeſe contineant, quando medicos ſuae artis ſupra exceptionem peritos omnes eſſe, nec alios multis etiam chirurgis minus peritos inveniri tempus tulerit.

§. 13.

Verum audire adhuc mihi videor nonnullos objicientes, me fruſtra ſtudioſos medicinae ad excolendam aeque ac exercendam *chirurgiam* cohortari, ipſisque proinde vana tantum ac inani ſpe blandiri, fore, ut cum reliquo medicinae ſyſtemate eadem denuo ſocietur, atque ita ad antiquum ſuum, quo olim radiabat, ſplendorem revocetur, cum medicorum omnium princeps, *Hippocrates*, licet in *operationibus chirurgicis* non ſolum valde fuerit peritus, ſed & re ipſa easdem ipſemet exercuerit, ſerio tamen medicos dehortatus ſit, ne calculi veſicae exſectionem ipſimet adminiſtrarent, ſed potius aliis hominibus frequentandam eam relinquerent, ceu in juramento *Hippocratis* expreſſe injungitur. Tantum vero abeſt, ut *Hippocrates* hoc loco medicis *chirurgiae* peritis diſſuadeat, quo minus *operationes* ſic dictas *manuarias* ipſimet exerceant, ut potius eosdem talium rerum peritos ſummopere laudet. Famae ſolum juniorum medicorum ipſiusque artis hoc ipſo conſulere voluit prudens ſenex, ne temere & praeter neceſſitatem tales ſuſciperent operationes, in quarum circumſpecta adminiſtratione ſufficientem nondum dexteritatem acquiſiviſſent, quaeque cum ambiguo & ancipiti effectu & eventu eſſent ſtipatae, qualem inprimis eſſe *lithotomiam*, funeſta plurima exempla demonſtrant: Fore igitur conſultius, ſi aliis, talibus in negotiis exercitatioribus, res ea potius relinqueretur. Atque hinc fortaſſis factum eſt, ut, quemadmodum

admodum inter medicos, ita & inter chirurgos, ſucceſſivis temporibus, certae enatae ſint ſectae; Qui enim hodie tumorum, vulnerum, ulcerum, fracturarum & luxationum curam gerunt, ſingulari praerogativa *chirurgorum* titulum ambiunt: Qui vero e contra oculorum, dentium, calculorum herniarumque medicationes ſuſcipiunt, ſpeciali *operatorum*, illi *Graecorum* ἐργάτῃ reſpondente, titulo ſalutari malunt. Neque inſuper metuendum, quod alii adhuc objicerent, ceſſurum hoc in opprobrium artis ipſorumque medentium, ſi *chirurgiam*, tanquam rem fœdam & abominabilem, ipſimet exercerent: Referunt enim hiſtoriarum monimenta de *Dionyſio Tyranno*, & *Joſina*, *Scotorum Rege*, quod magna animi praeſentia & felicitate tractarint affectus externos, quorum poſterior etiam magno ſuo exemplo ſubditis ſuis occaſionem dediſſe videtur, ut hodie adhuc non pauci *Scotiae* nobiles vulnerum curationi ſeſe applicent: imo, multos non ſolum *Angliae*, ſed & *Galliae*, nobiles medicinae & chirurgiae in hunc usque diem ſedulam navare operam, res eſt notiſſima.

§. 14.

Aſt, relicta *chirurgia*, progrediamur ad *pharmaciam*, de eadem ſimiliter demonſtraturi, quod antiquis temporibus cum reliquo medicinae corpore arctiſſime fuerit cunjuncta, ac proin a ſolis medicis exercita: Quam ob cauſam ipſe quoque *Galenus*, qui non levem pro more ſeculi, in quo vivebat, *pharmaceutico ſtudio* operam navaverat, uti ex *commentario* ejus *de medicamentorum compoſitionibus* apparet, *pharmacopoeus Antonini Caeſaris* appellatus fuit, ſicut apud (m) *Petrum Caſtellum* legimus;

(m) in optim. Med. Sect. II. pag. 55.

gimus, & (n) *Ammannus* ingenue fatetur, *pharmacopoeos* artem ſuam primitus a medicis didiciſſe; Id quod inſuper propter ipſam rei naturam aliter fieri non potuit: Cum enim *pharmaceutica* ſub prima medicinae infantia eſſet ſimpliciſſima, & nonnullorum tantum *ſimplicium*, uti & paucorum quorundam *compoſitorum* notitia abſolveretur, quid *pharmacopoeis* fuiſſet opus? Et licet ſucceſſivis temporibus ſenſim a primaeva ſua ſimplicitate ars ſalutaris deſciſceret, nondum tamen tam late ſua extenderat pomoeria, quin ab una eademque perſona & *medicina* & *pharmacia* potuerit adminiſtrari, donec tandem, voluptatibus hominum auctis, & luxu ubique introducto, rei quoque medicamentariae apparatus augeri, a medicis deſeri & in alios devolvi cœpit. Quod quo tempore factum ſit, licet usque adeo exacte determinare non poſſimus, a vero tamen non longe recedere videntur, qui una cum *Pſeudo-chriſtianiſmo* luxuriam, & cum luxuria ſimul *pharmacopolia* in *Germaniam* introducta eſſe, argumentis non contemnendis demonſtrant. Ubi enim gulae & ventri inſerviunt homines, ibi largam morborum ſegetem propullulare, neceſſarium eſt conſequens. Unde, licet meliora videant probentque mortales, deteriora tamen ſequuntur, ſecundum illud noſtratium: **Ich eſſe/ was mir ſchmeckt/ und leide/ was ich kan.** Interim fatalem iſtam diviſionem & *pharmaceuticae* a *medicina* ſeparationem jam multis ſeculis ante in *Africa* inſtitutam fuiſſe, author eſt (o) *Conringius: Plurimis quidem ſeculis* (inquit) *caruit officinis pharmaceuticis ars medica ipſis medentibus*

(n) Med. Crit. diſcurſ. 25. p. 191. & 193.
(o) Med. Hermet. Lib. 2. cap. 8. p. 293.

tibus domi pharmaca ſua conficientibus; idemque mos hodieque obtinet per omnem Aſiam. In Africa vero primum videntur medici hanc curam a ſeſe in alios rejeciſſe, ante hos quingentos amplius annos, quo tempore ibi floruerunt nobiliſſima regna Tunetanum & Maroccanum ſub regibus Luntuniae & Almohavidicae familiae. Avenzoaris ſane aevo, qui ſeculi duodecimi initio, undecimi fine floruit, morem illum in Africa obtinuiſſe, non videtur dubitandum. Inde cum doctrinarum artiumque omni genere in Hiſpaniam primum, mox in Europae reliqua conceſſit. Maximam tamen ſymbolam ad hanc diviſionem contuliſſe *propriam Medicorum pigritiam*, non obſcure innuit (p) *Helmontius* hiſce veriſſimis, licet acrioribus, verbis; Die Apothecker-Kunſt/ inquit, hat erſtlich ihren Anfang bekommen von den Kramern/ ſo mit einfachen Kräutern und Gewächſen gehandelt/ und von Kräuter-Samlern. Hernach aber/ als die Aertzte geſehen/ daß es nicht einem jeden gelegen wäre/ die Kräuter zu kochen/ einzumachen und zuzurichten/ ſo hat man diß Weſen zugleich den Materialiſten mit anvertrauet: Dabey aber die Aertzte die aufferleſenſten und geheimen Stücke vor ſich behalten/ damit ſie ihren Nachkommen etwas zur Ehre lieſſen. Endlich aber NB. als die Faulheit der Aertzte immer mehr und mehr zunahm/ thut man nun nichts anders mehr/ als daß man aus einer Gaſſe und aus einem Hauſe ins andere läufft/ und aus den vielen Beſuchungen und Gängen ſeinen Gewinn ſuchet. O quam pulchre & quam vere medicorum noſtrorum pragmaticorum mores corruptos perſtringit Vir acutiſſimus, utpote quos ultro citroque per plateas videmus diſcurrentes, ſuos-

M

(p) Tractat. de febr. c. 15. §. 9. edit. Germ.

ſuosque aegrotantes bis terve quaterve de die citra neceſſitatem viſitantes, ut titulum *clinicorum* majori, quam ullo alio tempore, jure hodie promereantur. **Hernach** (pergit idem) **ſeynd die Apothecker-Bücher** (diſpenſatoria) **auffkommen / da man nemlich hin und wieder die beſten Recepta zuſammen geklaubet / nachdem es etwan ihr Unverſtand zugelaſſen. Damit man nemlich ſolche Artzneyen in den Apothecken ſchon fertig hätte und zu kauffen gebe / mehr / damit es deſto geſchwinder zugehe / als daß ſich die Sache allemahl recht eigen ſo ſchickte.** Ita ergo turdus (medicus) ſibimet ipſi ſuam cacavit perniciem.

§. 15.

Caeterum longe alia & diſtincta *pharmaceuticae* illius veteris, *Galenicae* dictae, ab *hac nova*, quam *chymicam* hodie ſolenniter appellamus, fuit facies, cum *illa* ſolum ſua ex *vegetabilium* & pauca ex *animalium* regno petierit medicamenta, *haec* vero ex ipſa *mineralium*, longe majori efficacia pollentium, familia eadem hauſerit, quae etiam in morbis quibusdam chronicis, hydrope, lue venerea, epilepſia, mania, aliisque contumaciſſimis affectibus, deſideratiſſimam & a *vegetabilibus* ſolis vix unquam expectandam attulere operam. Qua in re facem reliquis praetulerunt *Theophraſtus Paracelſus* & *Johannes Baptiſta Helmontius*, quos poſtmodum *Michaelis*, *Barnerus*, *Rolfincius*, *Bohnius*, *Ludovici*, *Wedelius*, *Lemery*, *le Febure*, *Marggravius*, *le Mortius* pluresque alii recentiores magno numero ſecuti ſunt. Quibusdam tamen laudabilis illa innovandi ratio usque adeo displicuiſſe videtur, ut propterea in primos *pharmaceuticae* hujus *chymicae* aſſertores maxime contumelioſas e-

vo-

vomerent criminationes, qua in primis irae & animi intemperantia adverſus *Paracelſum* ejusque aſſeclas laboraſſe *Hermannum Conringium* non immerito miramur: Paſſim enim ipſum vocat (q) *nequam*, qui proprium nomen corruperit, & magnificos atque pompoſos titulos ſibi tribui affectaverit; (r) Alibi dogmata ejus abſurda vocat & impia, quae omnibus ante ſe natis exploſis & irriſis non ſolum in artem ſalutarem, ſed & univerſam philoſophiam, introduxerit, eamque (s) ſordibus ſuis conſpurcaverit, multis nugaciſſimis ſcriptis exaratis. Non raro ipſum novae & monſtroſae ſectae autorem vocat, (t) agyrtam & ardelionem, imo (u) *Schellhammerus*, *Conringii* paraphraſtes, ipſum appellat hominem impurum & ineptum, monarcham ruſticorum, quique potius inſanire, quam philoſophari, videri queat. (w) Alibi conqueritur *Conringius*, artem noſtram multo majora capturam fuiſſe incrementa, niſi *Germaniam* tum temporis dementaſſet *Paracelſus*, monſtrum hominis, in perniciem omnis melioris eruditionis natum. Neque pudet eundem *Conringium*, plane celebris (x) *magi* nomine ipſum proſcindere, imo, ne quid dicam gravius, prorſus ſubdubitare, an (y) virum, an vero *daemonem*, ipſum eſſe exiſtimet. Taceo reliquas

(q) Introduct. in art. med. cap. 2. pag. 53.
(r) loc. all. cap. I. §. 13. p. 10.
(s) l. all. cap. 2. §. 20. pag. 53.
(t) loco proxime allegato.
(u) animadverſ. in Conring. Introduct. ad cap. 2. p. 67.
(w) introd. Cap. III. §. 77. p. 3.
(x) l. all. cap. II. §. 17. pag. 380.
(y) Med. Hermet. Lib. I. cap. I.

quas acerbiſſimas, quibus utitur, loquendi formulas, omnia *Paracelſica* mera eſſe figmenta, nugari eundem, *Paracelſi* philoſophia nihil eſſe abſurdius, conſpicuam eſſe ejusdem ſtultitiam, & quae ſunt ejus farinae plura, quae impotens irae furor ipſi dictitavit in calamum, quam ob cauſam etiam amarulento ſcripto ſevere, prout meruerat, caſtigatus eſt ab (z) *Olao Borrichio:* Quicquid vero ſit, non poſſunt tamen jurati ejus hoſtes inficiari, ipſum multa praeſtantiſſima inveniſſe remedia pro domandis ac ſubjugandis morbis chronicis, quam poſtea ſupellectilem mirifice amplificarunt *Helmontius* aliique, quorum mentionem fecimus, *chymiatricam* medicinam profeſſi, atque adeo *Philoſophos per ignem* κατ᾽ ἐξοχὴν ſeſe appellare non erubeſcentes. Optandum tantum foret, in eorundem ſcriniis recondita, imo ſepulta, manſiſſe eorundem arcana, nec ad *pharmacopoeorum* notitiam unquam perveniſſe: Sic alienis plumis illi hodie non ſuperbirent, neque fructus inventorum tantis ſaepe laboribus ac ſudoribus partorum aliis praeriperent homines ingrati. Diſcite hinc, o noſtri, veſtris proſpicere commodis, &, ſi quae poſſideatis arcanioris compoſitionis remedia, nolite propalare: Quam primum enim in vulgi notitiam pervenerint, ſtatim non ſolum obvileſcent, ſed & ab hominibus avaris & crumeni mulgis in abuſum & uſuras illicitas vertentur medicamenta praeſtantiſſima.

§. 16.

(z) Tract. de Hermet. Aegyptior. & Chemicorum Sapientia ab Hermanni Conringii animadverſionibus vindicata.

§. 16.

Et quemadmodum ipſius *pharmaciae*, ita & *pharmacopoeorum* priſcis temporibus longe alia fuit ratio: Antiquitus enim *pigmentarii*, *aromatarii*, *ſeplaſiarii*, *medicamentarii*, imo nonnulli eorum *confectionarii*, alii *unguentarii* dicebantur; Quos tamen omnes ab hodiernis *pharmacopolis* diſtinguere non erit difficile. *Pigmentarii* enim nudi erant mercatores, in ſimplicibus comparandis tantum occupati, a quibus poſtea medici, qui *pharmaceuticam* ipſimet tunc temporis adminiſtrabant, ſpecies medicinales emebant, praeparabant & aegrotantibus ſuis diſpenſabant. *Seplaſiarii* vero, qui etiam interdum *unguentarii* appellitabantur, videntur nomen ſuum accepiſſe a *ſeplaſia*, foro *Capuae*, qui in uſum pictorum, tinctorum & unguentariorum varia pharmaca, pigmenta & ſuffimenta vendebant. Quia vero ſimul omnis materiae medicae apparatus venalis apud ipſos proſtabat, nomen *aromatoriorum* etiam acquirebant, adeoque eandem, quam noſtri hodie *aromatarii* & *materialiſtae*, (ſit venia verbo barbaro) profesſionem exercebant, medicamentorum praeparatione & diſtributione conſtanter ipſis denegata. Et quod denique *unguentarios* ſpeciatim attinet, eorum functionem in ſola unguentorum praeparatione & venditione verſatam fuiſſe, ipſa eorundem denominatio ſatis indicat: Unctionis enim actus admodum frequentabatur & aeſtimabatur ab antiquis: Quare etiam unctores peculiarem *Gymnaſii* partem ſibi vindicabant, *elaeotheſium* ſive *ἀλειπτήριον* vel *Unctuarium* appellatum, in quo, qui vel luctaturi, vel alias exercitationes corporis ſubituri, vel balnea ingresſuri erant, ungebantur & redungebantur,

ſicuti non rationem tantum ungendi, ſed & eos, qui ungebantur, unctionis materiam, & a quibus, & qua ratione unctionis actus adornabatur, fuſe deſcripſit (a) *Hieronymus Mercurialis.* Ex quibus omnibus ſatis diſpaleſcit, quod quidem hodierni noſtri *pharmacopoei* in eo conveniant cum *pigmentariis* antiquorum, quod univerſum materiae medicae apparatum in uſum medicorum comparent; cum *ſeplaſiariis* & *unguentariis*, quod pigmenta, ſuffimenta & unguenta in aliorum uſus conficiant ac divendant; cum *aromatariis* & *materialiſtis*, quod etiam aromata & varia alia ad materiam medicam ſpectantia diſtrahant: Sed in eo nihilominus reliquorum omnium ſortem longisſime ſuperant, quod praeter materiam medicam, quam venalem aliis exponunt, ipſam quoque medicamentorum praeparationem ita ſibi propriam vindicent, ut non ſolum *aromatarios*, hos eorum circulos turbantes, ſed ipſos quoque *medentes*, elaborationi & diſpenſationi privatae medicamentorum incumbentes in jus vocare non vereantur.

§. 17.

Quam injuſta vero ſit haec *pharmacopolarum* actio contra medicos, ex hactenus dictis manifeſtum eſt: Demonſtravimus enim, *pharmaciam* cum *medicina* antiquitus firmisſime fuiſſe combinatam, imo illam a medicis ipſis conſtanter adminiſtratam: Oſtendimus inſuper, *pharmacopoeos* uti olim, ita & hodie conſiderandos eſſe tanquam perſonas medicorum adminiſtras, proprio marte nihil ſuſcipientes, ſed potius ſecundum leges, ab ipſis praeſcriptas, non ſolum medicamenta praeparantes, ſed etiam formulas in aegrotantium uſum

ſum

(a) de art. gymnaſt. Lib. I. cap. 8. p. 33. 34. & 26.

ſum componentes, quippe qui indolis tam ſimplicium, quam compoſitorum, penitus ſunt ignari. Imo comprobavimus quoque, luxum immoderatum per univerſam *Germaniam* inſolentius ſeſe diffundentem, *pharmacopoliis* inſtructioribus originem dediſſe, atque adeo per ſolam medicorum incuriam & indulgentiam factum fuiſſe, ut *pharmacopoei*, commodis ſuis inhiantes, medicamentorum compoſitionem ita ad ſeſe pertraxerint, ut hodie ipſos medicos, quos tamen tanquam primos *artis pharmaceuticae* inventores & antiquos poſſeſſores venerari deberent, non ſolum inde arcere, ſed etiam in jus vocare, haud erubeſcant, ſi ab illis officinas publicas negligentius haberi & privatam contra remediorum diſpenſationem urgeri animadvertant. Nos quidem reliqua *pharmacopoeorum* jura ſive *communia*, ſive *propria*, in primis quae eorum dignitates, ab oneribus perſonalibus, imo & nonnullis realibus, immunitates, jus praelationis in concurſu creditorum, privilegia contra agyrtas, circumforaneos & aromatarios, & quae certum *pharmacopoliorum* numerum in civitatibus majoribus concernunt, controverſa hic non reddemus; Haec enim nihil ad nos: Tua autem, quod nihil refert, percontari deſinas: Illud vero ab omni aequitate alienum nobis videtur, *pharmacopoeis* eam hodie indulgeri licentiam, ut medicos ipſos in jus vocare, & medicamentorum praeparationem pariter ac diſpenſationem ipſis prohibere permittatur. Oſtendenda namque jurium horum origo & vis obligandi. Equidem ad (b) *Conſtitutiones Siculas*, quarum ortum in *Rogerium*

(b) Supervacaneum judicavimus, dictas Conſtitutiones Siculas in-

rium I. utriusque *Siciliae Regem* & *Salerni Principem*, uti & *Fridericum II.* Imperatorem nonnulli referunt, quod attinet, dubito, an illae allegari queant, pro confirmandis juribus *pharmacopoeorum* modernorum. Quid enim ad nos leges *Regum Siciliae regnique Neapolitani?* Poterant eae quidem obligare medicos *Siciliae* regum poteſtati ac ditioni ſubjectos, non vero item medicos *Germaniae* noſtrates. Ponamus autem, habere conſtitutiones iſtas *Siculas* vim obligandi etiam medicos modernos, unde quaeſo eſt, quod reliqua *ſanctionis Fridericianae* momenta non aequo rigore hodie obſerventur? Quare v. g. a praxi medica non arceantur, qui integrum triennium *ſtudio Logicali* non inſumſerunt: Id enim *lex tertia Conſtitutionis* dictae expreſſe efflagitat, cujus verba, licet parum *Ciceroniana*, hic tamen integra adponam: *Quia nunquam ſciri poteſt ſcientia medicinae, niſi de ſcientia logicali praeſcribatur, ſtatuimus, quod nullus ſtudeat in medicinali ſcientia, niſi prius ſtudeat ad minus triennio in ſcientia logicali: Poſt triennium, ſi voluerit, ad ſtudium medicinae procedat - - - - - - Poſt quod, & non ante, concedatur ſibi licentia practicandi, examinatione juxta curiae formam praehabita & nihilominus recepto pro eo de praedicto tempore ſtudii teſtimonio magiſtrali.* Quam curta vero domi ſuppellex foret plurimis *medicinae Candidatis*, ſi ſcientiae ſuae *Logicae* in examinibus publicis rationes reddere deberent! Specimina inauguralia toto die demonſtrant, quod ſacraria *artis rationalis* ne limine qui-

integras hic excerpere. Verbotenus enim legi poſſunt in Frid. Lindenbrogii Codice LL. antiquarum Lib. 3. tit. 34. de probabili experientia Medicorum.

quidem ſalutaverint, multo minus ſecundum *ſanctionis Fridericianae* tenorem in eadem integrum triennium conſumſerint. Cur praeterea ad *praxin chirurgicam* hodie admittuntur, qui *anatomiam* corporum humanorum nunquam vel primis deguſtarunt labris, ſed praeter tonſuram barbarum & venaeſectionis vel cucurbitularum adminiſtrationem nihil intelligunt, contra expreſſa ejusdem legis verba: *Salubri etiam conſtitutione ſancimus, ut nullus chirurgicus ad practicam admittatur, niſi teſtimoniales literas offerat magiſtrorum, in medicinali facultate legentium, quod per annum ſaltem in ea medicinae parte ſtuduerit, quae chirurgiae inſtruit facultatem, & praeſertim anatomiam corporum humanorum in ſcholis didicerit, & ſit in ea medicinae parte perfectus: Sine qua nec inciſiones ſalutariter fieri poterunt, nec factae curari.* Quare porro ſecundum tenorem *legis ultimae Confectionarii* (pharmacopolae) ſacramento corporaliter praeſtito non amplius obligantur, ut electuaria, ſyrupos & alias medicinas conficiant NB. in praeſentia juratorum? Et ſi contra fecerint, cur non amplius publicatione bonorum ſuorum condemnantur? Quis vero hodie in actiones *pharmacopoeorum* animadvertit, aut iisdem pollicem premit? Et quid denique ſibi volunt vocabula *ſtationis propriae*, quae potiſſimum urgent, qui *Pharmacopoeis* eorundemque juribus favent: *Non contrahat ſocietatem cum Confectionariis. - - - - Nec ipſe etiam* (medicus) *habebit propriam ſtationem:* Si enim per *ſtationem propriam* intelligatur *officina publica*, variis ſyrupis, electuariis, conſervis, magiſteriis, ſpeciebus, conditis aliisque confectionibus majoribus, mirabili ſaepe ac ridicula contrariorum commixtione conſarcinatis ſuper-

N biens,

biens, facile conceſſerim, abhorrere ab officio Medici, inſtitorem vel mercatorem agere, aut in officina quadam publica ſyrupos, electuaria &c. venalia exponere. Ut vero ſanitati hominum conſulatur, pomposo iſto ac propemodum prodigioſo remediorum apparatu plane non eſt opus: Siquidem ad praxin medicam feliciter inſtituendam ſufficit, medicum paucorum quorundam, dummodo fidorum ſimulque exploratas vires habentium remediorum notitia inſtructum eſſe, quae ſi caute, prudenter ac circumſpecte dirigat, affatim habebit, unde ſanitati hominum proſpiciat: Luxui enim & voluptatibus eorundem ſervire, nec *medicum*, nec *pharmacopoeum* decet.

§. 18.

Ex quibus omnibus meridiana luce apparet clarius, non poſſe hodie *pharmacopoeos* noſtros vel minimum petere patrocinium cauſae ſuae injuſtae contra medicos ex citatis *Conſtitutionibus Siculis*, utpote quae ne verbo quidem meminerunt, medicos nulla penitus medicamenta domi praeparare, multo minus eadem in aegrotantium ſuorum uſum privatim diſpenſare debere: Quam privatam medicamentorum ſelectiorum diſpenſationem commendarunt ab omni tempore medici toto orbe celeberrimi, quos inter nominaſſe ſufficiat vel ſolum *Danielem Ludovici*, *Medicum Ducalem Saxo-Gothanum*, dum viveret, *famigeratiſſimum*, qui (c) peculiari diſſertatione argumentum hoc acri, ſed ſimul judicioſo, ſtylo proſecutus eſt, inprimis vero notari merentur verba, quae (d) introductione in *pharmaciam moder-*

(c) de privata remediorum diſpenſatione.

(d) praefat. in pharmac. mod. ſec. applicand. p. 6. & 7.

moderno ſeculo applicandam leguntur: *Praecideretur* (inquit) *admodum occaſio* (intellige privata hac medicamentorum diſpenſatione ab ipſo medico inſtituta) *qua empirici, minus alias plerisque in locis coerciti, inprimis autem polipragmones pharmacopolae, divulgatis & arreptis per vulgarem receptiſmum elegantioribus aut praeſentioribus ſpecificis, polychreſtis, eorumque formulis vel adhibendi modis* (quaſi patentiorem adhuc feneſtram nacti) *eo elatius ac impudentius per exiſtimationis noſtrae ſtragem, ad plebejorum plauſus nummorumque capturas magis magisque in poſterum graſſari poſſent, pharmaceutici apparatus poſſeſſores, proviſores aut quique tandem diſpenſatores, tot ſupervacaneis expenſis atque laboribus admodum ſic eximerentur. Ipſi tandem medici magnam antiquae authoritatis ac libertatis partem hinc recuperarent; Ac amplius adeo Diſpenſatoriorum arbitrio formulisque inibi authentiſatis* (ſaepe non ſine multis curationis incommodis) *alligarentur, ſed ad ſingularia quoque ſeu ſelectiora quaedam, campo hic longe liberiori excurrere poſſent.* In eadem ſententia nobiscum verſatur (e) *Schellhammerus*, qui non citra rationem vehementer conqueritur, nullo jure nullove civium commodo fieri, ut hodie quibusdam in locis medici ab omni *pharmaceutica praeparatione* tanta ſeveritate arceantur, ut ipſis nihil prorſus ſui juris maneat integrum, jubeanturque vel maxime arcanas quoque praeparationes ſibique proprias & nonnunquam ſatis difficiles aliorum, Φαρμακευτικῆς ſaepe non ſatis peritorum fidei committere: Cum contra per univerſam *Saxoniam ſuperiorem* & plurimis aliis in locis ac regionibus, medici ſuo jure utentes & laudabilem veterum morem reducentes, magnam

(e) paraphraſ. in introd. Conring. Cap. 1. §. 12.

gnam medicamentorum ac praecipuam partem ſibi vindicent. Hiſce meritisſimo quoque jure annumerandus eſt Dn. D. (f) *Stahlius* in nuperrimo *Propemptico inaugurali*, ubi, quae ad controverſiam hanc elucidandam & componendam faciunt, ſolidisſime diſcuſſit.

§. 19.

Videamus autem argumenta praecipua, quibus ſuffulti *officinarum pharmaceuticarum publicarum* Patroni earundem authoritatem, utilitatem ac neceſſitatem in Republica ſtabilire conantur, quos inter non poſtremum occupat locum (g) *Conringius*, qui cum *medicinae Galenicae* totum ſeſe conſecraſſet, ac proinde in *Paracelſum* & *remedia chymica* ab ipſo introducta diriſſimas evomeret contumelias, non debebat non officinarum publicarum auctoritatem quocunque modo defendere, praeprimis poſteaquam ipſemet easdem non exiguo *compoſitionum Galenicarum* numero locupletaverat. Quamvis enim ipſemet in dubium vocare nequeat, multa non ſolum per negligentiam, ſed etiam doloſe, fieri in officinis publicis non ferenda, multo minus laudanda, quin potius graviſſimos errores circa medicamentorum praecipue generoſorum compoſitionem committi: Attamen nec ipſum quoque medicum, praxi potiſſimum prolixae implicitum, licet ſua ipſius manu medicamenta paraverit, omnem ejuscemodi culpam, errores & peccata praecavere poſſe, ſubjungit. Aſt extantiora ſunt *pharmacopoeorum* errata, quae in praeparatione medicamentorum *mercurialium* & *antimonialium* commiſerunt, quae licet non exaggeremus,

(f) de Privata medicamentorum diſpenſatione.
(g) de Med. Hermet. Lib. 2. cap. 8. p. 293.

remus, aut, ut vulgo loqui amant, ex muſca faciamus elephantum, tantam tamen in ſanitatem & vitam hominum ſtragem ediderunt, ut mitiorem explicationem vel excuſationem non mereantur, quibus tamen omnibus medicus *pharmacevtices* peritus rerumque ſuarum ſatagens obviam procedere, ſicque non ſolum valetudini aegrotantium, ſed & famae & exiſtimationi ſuae, rectius conſulere poteſt, ſi ipſemet remediorum elaborationi invigilaverit. Hac enim ratione perſpectam habebit medicamenti indolem, doſin, viresque, in quibus tamen omnibus dubius haerebit & anceps, ſi alienae fidei & ſuam exiſtimationem & aegrotantium ſalutem committere neceſſe habeat. Accedit, artem medicam per multa ſecula *officinis pharmaceuticis* deſtitutam fuiſſe, & tamen commodis aegrotantium feliciter ſemper & abunde proſpexiſſe. Quidni ergo & hodie iisdem carere poſſemus?

§. 20.

Ejusdem farinae ſunt reliqua ejusdem *Conringii* argumenta, quae pro ſtabilienda *pharmacopoliorum publicorum* auctoritate eodem libro de *hermetica Medicina* adfert: Duo ſc. ingentia hoc medio praecaveri mala: *Alterum*, ne quid medicus temere peccare auſit vel poſſit, ceu quem in jus vocare liceat, ſi non ignoretur, quo uſus ſit, remedium; Multos etenim medicorum eſſe, qui, cum praeparationis remediorum penitus ſint ignari, excuſationem tamen hoc medio habituri ſint, ſi publico velut teſtimonio declarare queant, quas in officinam formulas miſerint, licet interea male nonnunquam ſuccedat negotium. *Alterum*, ut juſto pretio veniant remedia, quae alioquin ab avaris im-

 modico

modico ſolent aegrotantibus vendi. Miſera ſane effugia, magnitudine ingenii *Conringiani* prorſus indigna. Ludetur enim de corio aegrotantium, ſive medicus *ſua*, ſive *pharmacopoei culpa*, peccaverit. Parum certe juvabit vel ad palliandam ignorantiam vel ad evincendam innocentiam, ſi noverit tertius, quo uſus fuerit medicamento, ſi interea damnum eodem intulerit proximo. Si vero medicamentum inſons vitiique expers fuerit, malitioſum foret, errores aliunde natos refundere velle in medicos, quod quam ſolenne ſit hac noſtra tempeſtate, neminem fugit. Multo vero minus metuendum, ne medici ſuo tantum arbitratu pro viliſſimis quibusvis remediis crumenas aegrotantium emuncturi ſint: Sunt enim illorum plerique generoſi, liberales, ad commiſerationem proni, ſaepius dant, rarius accipiunt, uno ut me expediam verbo, ad opera miſericordiae exercenda promptiſſimi. De moderatione vero *taxarum*, uti vocant, *medicinalium*, ſemper quidem locuti ſunt cordatiores medici, ſed ſurdis ac mutis narravere fabulas, & veluti alienos & ignotos DEOS nunciaſſe viſi ſunt, ſicuti graviter conqueritur in erudita ſua de *moderamine taxarum* diſſertatione Vir integerrimus *Daniel Ludovici.* Illae namque, quae in *pharmacopoliis* hodieque vigent, taxae omnem chriſtianam charitatem usque adeo tranſcendunt, ut pro decem imperialibus facile lucrentur *pharmacopoei* centum, quantas tamen uſuras etiam abjectiſſimus & maxime avarus Judaeus abominaretur. Interim duriſſimis hiſce legibus colla ſua ſubmittere coguntur *Clerici* aeque ac *Laici*, *nobiles* aeque ac *ignobiles*, *divites* pariter ac *pauperes*, qui ultimi ſive evadant, ſive fatis cedant, a *pharmacopoeo*

copoeo ejusque vexis nullibi tuti ſunt: Priori enim caſu diu laborandum, algendum ac ſudandum, antequam auaritiae *pharmacopoei* ſatisfiat; Poſteriori vero caſu inevitabile poſteris onus relinquitur, oſtiatim ſtipem colligendi & hoc extraordinario medio placandi *pharmacopoeum* auri cupidum, nullasque aequitatis aut chriſtianae charitatis leges attendentem. Neque tamen propterea eundem in jus vocare licebit, tanquam qui aeſtimavit ſua medicamenta ſecundum normam taxae ſibi praeſcriptam: Imo, ut quid dicam amplius, cui leges etiam civiles *jus praelationis in concurſu creditorum* liberaliter indulgent, ut JCtis notum eſt.

§. 21.

Quae omnia cum ita, ut diximus, comparata ſint, ſponte conſequitur, Rempublicam *officinis pharmaceuticis* talibus, quales hodie ſunt, commode carere poſſe: Satis enim demonſtravit ſaepius laudatus *Ludovici*, quod *pharmacopolia* illa inſtructiora infinita ſupervacaneorum & inutilium, immenſa incommoda, labores & expenſas *pharmacopolis* ipſis, confuſionem medicis, & expenſas aegrotis cauſantium, copia abundent, & quidem citra ullum reale commodum aut ullam urgentem neceſſitatem. Cur enim ex omnibus mundi angulis tanta cum ſollicitudine conquiruntur exotica, cum ſaepius natale ſolum aeque efficacia aut efficaciora proferat vernacula, nullis fere ſumtibus comparanda: Quam proinde ſupervacuam prodigalitatem non citra rationem vehementer reprehendit (h) *Salmaſius* his verbis: *Medicina non contenta remediis indigenis & inventu facilibus, officinas capturae ſuae inſtituit & inſtruit, petitis*

(h) Proleg. in Libr. de homonym. hyl. Jatr. p. 14.

titis ex Arabia & India mercibus, inſalubri annona praeſtinandis, quo carius homines pereant, quibus non licet jam mori gratis. Rudiorem illam & antiquam medendi methodum, quae ſimplicibus conſtabat medicamentis & parabilibus, nec compoſitiones & mixturas externorum inexplicabiles agnoſcebat, eandem ubique Plinius conſtituit cum herbaria, & diſtinguebat ab illa quaeſtuaria arte, quae per morbos & mortes ſalutem ſibi petit. Et cui quaeſo bono his etiam vernaculis potiſſimum cognitis & vires exploratas poſſidentibus tot ſubſtituuntur ſub uno genere *ſymbolizantia* aut *aequipollentia?* Et ſi ad ſpecialia deſcendere velimus, cui quaeſo uſui ſubſerviunt tot aquae deſtillatae non *vegetabilium* ſaltem, ſed & *mineralium* & *animalium*, quae praeter phlegma inſipidum & inodorum nihil continent, unde etiam rancorem facile contrahunt, & proinde tanquam inutilia magmata rejiciendae ſunt? Exemplo eſſe poſſunt aquae deſtillatae *plantaginis*, *ſempervivi*, *albuminis ovorum*, *burſae paſtoris*, *caponis*, *carbunculi cum moſcho*, & *ſine moſcho*, *cordis cervi cum vino*, *cuſcutae*, *endiviae*, *equiſeti*, *hederae terreſtris*, *lactucae*, *malvae*, *pilo ſellae*, *portulacae*, *taraxaci*, *tormentillae*, *verbenae*, aliorumque plurium, quae praeter ſaporem herbaceum, acerbum & nauſeabundum nihil in receſſu habent. Ut jam nihil dicamus de aquis compoſitis *cordialibus*, *antapoplecticis*, *anti-hyſtericis*, *anti-podagricis*, *ant-epilepticis* &c. hujus vel illius celebrioris practici nomen prae ſe ferentibus, quarum pleraeque vel magnificis ſuis promiſſis excidunt, vel inconſideratam talem plurium ſimplicium confuſionem & compoſitionem non efflagitant. Si porro inutilem illam farraginem *magiſteriorum*, ex animalibus potiſſimum & marinis paratorum

& ſu-

& ſupervacuam ſaepe caritatem inducentium, quale v. g. eſt *magiſterium margaritarum orientalium*, ex officinis ejiceremus, quam contractam rurſus haberemus materiam medicam & quam bene conſuleretur aegrotantibus? In horum enim omnium locum maximo cum fructu unum vel alterum ex vulgatisſimis *abſorbentibus* commode ſubſtitui poteſt, quia artificioſa illa *magiſteria* ſuorum *ſimplicium*, ex quibus parata ſunt, virtutes longisſimo poſt ſe intervallo relinquunt.

§. 22.

Quantis porro, ut *pharmacopoliorum publicorum* incommoda in compendio veluti ſiſtere pergamus, non parceremus ſumtibus ac vaſis pretioſis, ſi tot *ſyrupos*, *eclegmata*, *oxyſacchara*, *Rob*, *conſervas*, *electuaria*, *condita*, ejusque generis remedia plura, negotioſis potius mulierculis relinquenda, ex officinis exturbaremus, utpote quae cuncta hodiernae medendi methodo minus quadrare videntur, ſed ſingula tamen ſuis in loculis reponenda ſunt, ſolummodo ut *pharmacopolium* appareat inſtructius, nihilque deſideretur, quod pompam & voluptatem augere vel promovere queat. Et quid denique de *theriaca Andromachi*, *diascordio Fracaſtorii*, *mithridatio*, *philonio Romano* aliisque compoſitionibus majoribus dicemus, de quarum plerisque optimo jure pronunciavit *Ludovici*, quod nulla, vel exigua, ingredientium proportione genuinorumve componendi praeceptorum ratione habita, coelum terrae, frigida calidis, humentia ſiccis, ſtringentia aperientibus atque

purgantibus, aperitiva obſtruentibus, inertia & imbecillia probatis ac praeſentaneis, culinaria medicamentoſis, fera draſticaque debilibus atque benignis, pretioſa viliſſimis, durabilia horariis & brevi fatiſcentibus vel corruptionem ſuam ſentientibus, amariſſima praedulcibus &c. citra ſolidam quandam rationem & neceſſitatem invicem commixta exhibeant? Similis eſt conditio *tincturarum*, *eſſentiarum*, *elixiriorum*, *ſpirituum*, *ſaliumque fixorum* aeque ac *volatilium*, quorum omnium tantus in officinis numerus proſtat, ut, quid eligere debeat medicus, prorſus anceps ſit & incertus. Et quis denique Augiae illud ſtabulum penitus repurgabit? Apparet interim clariſſime, modernam medendi rationem ejusmodi inſtructiorem medicamentorum ſupellectilem in *officinis publicis* continuo aſſervandam non expoſcere, ſed univerſam materiam medicam cum ſummo & medentium & aegrotantium commodo in arctos admodum limites conſtringi poſſe, ſicuti nuperrime non infelicia ejus rei ſpecimina edidit Celeberrimus *Valentinus*, *Academiae Haſſo-Gieſſenae Profeſſor*, atque oſtendit, paucis remediorum quaternionibus totam praxin medicam feliciſſime adminiſtrari poſſe & per conſequens *officinis publicis* non eſſe opus.

§. 23.

Poſſe itaque artem medicam paucis, iisque ſelectioribus, nec multo labore parandis, remediis eſſe contentam, hoc potiſſimum argumento eſt, quod antiqui medici, prout jam antea indicavimus, per multa ſecula

la praxin medicam feliciter exercuerint, & interea tamen *officinis pharmaceuticis* conſtanter caruerint. Et quis ignorat, pleroſque medicos *Helvetiae* & *Belgii fœderati*, neglectis *officinis publicis*, privatae remediorum diſpenſationi vel hodienum indulgere? Quem eundem morem in plurimis quoque *Germaniae* noſtrae locis laudabili magiſtratus indulgentia tolerari videmus. Neque enim per rei naturam poſſibile eſt, *pharmaciam* a *medicina* ſeparare: Unde eleganter iterum (i) *Salmaſius* eadem de re in ſenſum noſtrum loquitur: *Profecto herbariae rei ratio, ſicut eam tractat medicus, non poteſt ſejungi a medicina: Tolle ſuas herbas illi, aut quibus utitur herbarum loco, artis* κατάλυσιν *ipſi imperabis; nec ſecus id erit, quam ſi coria ſubtrahas coriario, aut ligna fabro lignario. Ego vero herbarum inquiſitionem a medendi profeſſione non ſeparaverim, quatenus hanc ipſam profitetur quoque, nec ſine hac munus ſuum tueri poteſt.* Accedit, multos, eosque ſatis nonnunquam impetuoſos, affectus ſponte reſtitui absque ullis remediis externis, prolixo artificio comparandis, ſola Naturae medentis αὐτοκρατίᾳ: Quo caſu iterum pompoſo medicamentorum apparatu & conſequenter inſtructioribus *pharmacopoliis* non indigemus. Quare etiam celebriores quivis pragmatici ab omni tempore ſelectioribus quibusdam compoſitionibus indulſerunt, quas ruſticis, aliisque mediae conditionis hominibus, privatim ſummo cum emolumento diſpenſarunt, ditioribus vero formulas praeſcripſerunt & ad *officinas* relegarunt, magis tamen, ut abſurdis ae-

O 2 gro-

(i) Prolegom. in Libr. de homonym. Hyl. Jatr. p. 14.

grotantium, tale quid efflagitantium, votis morem gererent, quam ut ulla urgente neceſſitate ſe eo compelli animadverterent: Qui inſuper multiplici, eaque non inutili, didicerunt obſervatione, plerosque morbos magnam remediorum quantitatem aut frequentem eorundem mutationem, multo minus copioſam aſſumtionem, non admittere aut pati, ſed non raro inde exacerbari vel in deterius verti. Adeo, ut ridicula illorum practicorum conamina ſatis mirari nequeamus, qui uno ſaepius die non contemnendam pulverum, potionum, tincturarum, eſſentiarum aliarumve ſimilium mixturarum quantitatem, ſuis aegrotantibus deglutiendam praebent, hoc ipſo certiſſime aut ſuam ignorantiam, aut turpem lucrandi cupidinem, honeſto viro indignam, prodentes: Cujus ultimi potiſſimum vitii manifeſtam ſuſpicionem abalienare a ſe vix poterunt medicinae Doctores, qui *officinas pharmaceuticas publicas* aut ipſimet poſſident, aut ab aliis conductas adminiſtrant. Quae enim inſcitia ſua cauſati ſunt damna vel miniſtri vel famuli, aegrotantes nolentes volentes reſarcire coguntur.

§. 24.

Atque eadem haec *pharmacopoeorum* ignorantia, quam in legitima remediorum praeparatione ubique conſpiciendam praebent, potiſſimum ſi miniſtris vel famulis negotium iſtud imprudentius relinquatur, novum ſuppeditat argumentum medicinae practicis, quo minus ignaris ejuscemodi hominibus aut ſuam famam

mam, aut, quod carius merito aeſtimandum, aegrotantium ſuorum ſanitatem & vitam temere concredant. Memini, ex 15. granis mercurii dulcis, quae medicus praeſcripſerat, puerum 16. praeter propter annorum brevi poſt vitam cum morte commutaſſe, cunctis indiciis & ſymptomatibus haud obſcure innuentibus, mercurium dulcem rite praeparatum, & ſufficienter, prout regulae artis efflagitabant, ſublimatum non fuiſſe, licet ſimul negari nequeat, in doſi ipſum quoque peccaſſe medicum. Simile quid contigit matronae cuidam nobili in *Belgio foederato*, quae cum loco purgantis, cui medicus mercurium dulcem indiderat, ab imprudenti pharmacopola accepiſſet mercurium ſublimatum corroſivum, protinus in ingentia & intolerabilia ventris inferioris tormina incidit, horrendasque excretiones paſſa fuit: Quae omnia licet tandem, induſtria medici, fuerint ſopita, incidit tamen poſtea eadem matrona in fluxum alvi chyloſum & atrophiam lethalem, ex qua aliquot poſt menſes miſere periit: In cujus cadavere diſſecto interior inteſtinorum ſubſtantia ipſaque oſcula vaſorum lacteorum ulceroſa cruſta tecta ac veluti incruſtata deprehendebantur, adeo, ut per ea chyli diſtributio fieri nequaquam potuerit, unde poſtmodum atrophia & chyloſae materiae excretio. Non jam dicam de reliquis *Pharmacopoeorum* erroribus, quos circa medicamentorum electionem, quantitatem & uſum committere ſolent: Eos enim diligenter annotavit (k) *Paulus Zacchias*, aliique

(k) Quaeſt. medico-legal. Lib. VI. Tit. 1. quaeſt. 10.

.ex 15. grani

que plures. Multo vero minus hic pluribus exaggerabo reliquos eorundem errores ex proaereſi magis oriundos, dum alterum alteri v. g. lap. cancrorum margaritis orientalibus &c. ſubſtituunt, atque ita & medicum & aegrotantem turpiter defraudant: Sua enim quemlibet conſcientia facile convincet, num officio ſuo ſatisfecerit, nec ne? Illud tamen hoc loco ſilentio praetereundum non eſt, quod & ipſi *pharmacopoei* circulos aliorum turbent & in ipſam praxin medicam impudenter non minus, quam audacter, involent, ignari interea verae morborum hiſtoriae & ſanioris veriſque aegrotantium circumſtantiis competentis medendi methodi. Ex innumeris igitur incommodis, quae trivialis illa & recepta formulas in *pharmacopolia* mittendi conſuetudo parit, non infimum quoque locum meretur, quod innumeri hac ratione producantur temerarii non minus, quam arrogantes, empirici ac ſpurii artis filii, qui, nulla prorſus temporis, aliarumque circumſtantiarum, rationali ratione habita, indifferenter talia remedia, quorum vires & applicandi rationem non intelligunt, audacter arripiunt aliisque obtrudunt: Et, licet negotium non aeque feliciter ſemper ſuccedat, non deeſt tamen occaſio errores palliandi, aut iisdem fucum quocunque modo inducendi.

§. 25.

Ex his vero omnibus hoc tandem deducimus conſectarium: Tunc demum medicos iterum fore felices, ſi *pharmacopoeis* ad antiquam conditionem reda-

ctis

ctis, ipſimet medicamenta ſua componant, & compoſita pro arbitrio diſpenſent, utpote quibus hoc pleno jure competit, cum exactiorem ſimplicium aeque ac compoſitorum prae illis habeant notitiam. Quando vero, regeret forte quis, illuceſcent tandem felicia illa tempora? An forſitan ad calendas Graecas? Nequaquam: Sed auſim promittere, cras vel perendie illud eventurum, dummodo ipſimet medici ſalutaribus conſiliis aures auſcultatrices praebere non dubitaverint. Neque enim ad finem hunc obtinendum opus eſt multis *technis* vel *artibus Machiavelliſticis*, ut *pharmacopoeis* de injuria ſibi illata conquerendi occaſio ſuppeditetur; ſed ſimpliciter jure ſuo frui opus tantum eſt medicis. Omni tamen ſtudio his potiſſimum enitendum eſt, ut commune illud dicterium, quaſi in artibus *chymica* & *pharmaceutica* ipſis *pharmacopoeorum* famulis imperitiores ſint, a ſeſe amoliantur, & proinde *ſtudio pharmaceutico-chymico* toto pectore incumbant, ut non ſolum ipſimet omnes errores, in praeparatione medicamentorum committi ſolitos, ſedulo evitent, ſed alios quoque errantes in viam reducant. Quare inprimis *Profeſſores in Academiis*, quibus *profeſſio chymica* & *pharmaceutica* publice injuncta eſt, eo omnes intendere debent nervos, ut medicinae Studioſis, curae ſuae concreditis, principia artis hujus ſolide inculcent, rationes *proceſſuum* philoſophicas clare exponant, cautelas circa providam *proceſſuum* elaborationem obſervandas dextre oſtendant, tandemque in ſua quoque *Elaboratoria* deducant, ut ipſimet manus admoveant operi, atque ita, quid in elaboratione *proceſſuum chy-*

mico-

micorum fieri ſoleat, oculis ſuis uſurpent. Quae methodus ſi negligatur, & ſolis tantum diſcurſibus inſiſtatur, multa quidem de principiis artis ſubtiliter diſſerere, de *proceſſibus* eorundemque rationibus deblaterare addiſcent, ſed interea ad ipſum tandem opus admoti ipſis aniculis in deſtillandis v. g. aquis vegetabilium erunt imperitiores, imo adſpirantes aliquando ad *praxin clinicam* quadrata rotundis, rotunda quadratis, dulcia acidis, oleoſa aquoſis, ſumma imis, ima ſummis miſcebunt, ſicque non ſolum peritioribus riſum movebunt, ſed etiam ipſis *pharmacopoeorum* famulis ludibrio ſeſe exponent, quorum tamen auxilio prorſus non habebunt opus, ſi ipſimet *chymiae* & *pharmaciae* ſedulo invigilaverint. Ad eundem vero finem conſequendum certius adhuc adſpirabunt, ſi Practici nullas amplius *formulas*, quas *Recepta* communiter vocant, in *pharmacopolia* mittant, ſed remedia longo tandem uſu approbata privatim aegrotantibus ſuis diſpenſent: Sic enim ſucceſſu temporis remedia, quae venalia ibi exponuntur, obſoleſcent, electuaria & ſyrupi &c. pyxidibus concluſi rancorem & ſitum contrahent, & proinde vel paucos, vel nullos, emptores invenient. Adeoque via hac plana & expedita pedetentim in priſtina ſua jura eorundemque poſſeſſionem reſtituentur medici, quam via aperta juris nunquam alias acquiſiviſſent, ipſi vero *pharmacopoei* in antiquos ſuos cancellos, materiam medicam comparandi, eandemque in medentium uſum diſtrahendi, conſtringentur. Neque vero propterea juſtas habent cauſas inutilibus querelis laceſſendi aures magiſtratus, quia omni *ordinationum medicinalium*

nalium auctoritate poſthabita, ipſi ſphaeram ſuam ſaepius temere tranſiliunt, & cum damno aegrotantium in praxin medicam ſeſe immergunt, a qua tamen ut abſtineant, ſevere prohibentur. Neque tandem de felicibus horum conſiliorum ſucceſſibus deſperandum eſt, quia jam hinc inde manifeſta ejus rei veſtigia leguntur, quae ſi & alii prudenter & circumſpecte calcaverint, de proſpero eorundem eventu et ſucceſſu non eſt dubitandum.

§. 26.

Futilis proinde nulliusque momenti eſt objectio, medicorum conditionem hac ratione pejorem, eorundemque munus ignobilius eſſe futurum, ſi *rei pharmaceuticae* ipſimet incumbere non vereantur: Quandoquidem propterea ars medica apud *Romanos* ad ſolos (l) *ſervos* & *libertos* fuerit ablegata, tanquam *homine ingenuo*

P

(l) Conditionem omnium medicorum *Romae* fuiſſe ſervilem, non ſolum *Pignorius de Servis* p. 70. & *Titus Popma de Servis* p. 31. ſed etiam *Robortellus* aſſerunt; quem tamen ultimum ſatis refutavit *Jacobus Sponius*, *Miſcell. erud. Antiq. p. 144.* atque oſtendit, pleroſque ingenuos aut ſaltem libertos fuiſſe, qui praxin *Romae* exercuerunt, non tantum ex peregrinis, v. g. *Graecis*, ſed & *Romanis* ipſis. Quis enim negabit, *Cornelium Celſum* fuiſſe *Romanum?* Quis idem de *Scribonio Largo* aliisque vocabit in dubium? Et quis patietur ſibi perſuaderi, Servum VI. Virum *Romae* fieri potuiſſe, quae dignitas inter primaria civitatum officia referebatur? Et quis non potius inde indubitatum *ſtatus ingenui* argumentum ac teſtimonium deſumet?

genuo indigna. Futilis, inquam, eſt objectio; Praeterquam enim, quod *pharmacia* priſcis temporibus ſolis privatorum cancellis concluſa non eſſet, ſed a Regibus quoque excoleretur, quales fuere *Mithridates*, a quo famoſam illam *mithridatii* compoſitionem adhuc hodie habemus, & *Demetrius*, *Macedoniae* Rex, cujus pariter compoſitiones nomen ejus immortali famae conſecrarunt: Falſum quoque eſt, omnes medicos, artem ſuam *Romae* exercentes, ſervilis fuiſſe conditionis, quamvis interea, quosdam illorum, ex gr. *Antonium Muſam* &c. ſervos fuiſſe, non negaverim: Obſtat enim edictum *Iulii Caeſaris*, qui ſecundum (m) *Suetonii* teſtimonium omnibus *Romae* medicinam exercentibus jus civitatis liberaliter indulſit, ut & alii allicerentur, & *Romae* domicilium ſuum figerent: Quod idem privilegium in gratam beneficii ab *Antonio Muſa L.* ſibi exhibiti memoriam poſtea amplificavit ejus ſucceſſor, *Auguſtus*, &, prout refert (n) *Dio Caſſius*, non ſolummodo *Antonio Muſae*, ſed & omnibus reliquis Medicis, libertatem conceſſit annulum aureum geſtandi, eosdemque munerum civilium & publicorum (o) immunitate donavit,

---

(m) in Vita *Caeſaris.*

(n) Libr. 53.

(o) Hujuscemodi munerum publicorum immunitatem primus univerſo medicorum ordini indulſit *Auguſtus*, quae poſtmodum conſervata eſt medicis, reſcriptis *Veſpaſiani* & *Hadriani* aliorumque Imperatorum Romanorum. Vid. l. ult. ff. de munerib. Donec tandem ſecutus eſt *Claudius Galenus* ſub *Commodo*, qui pari

vit, &, prout addit (p) *Suetonius*, ipſi Muſae ſtatuam aeneam juxta ſignum *Aeſculapii* Senatus Urbis populusque Romanus erigendam curavere. Taceo, quod, qui primi *Romae* artem exercuere medici, ſecundum teſtimonium *Plinii* fuerint *graeci*, liberi homines, quales fuere *Archagatus* & *Aſclepiades*, de quorum primo (q) *Plinius* ita loquitur: *Caſſius Hemina &c.* Aliae enim Romanis, nationi bellicoſae & finibus Imperii amplificandis tantum intentae, erant rationes, quare medicinam negligerent, exteriſque relinquerent, quam quod eandem ingenui hominis conditione indignam judicarent, atque adeo ad ſolos ſervos vel libertos relegarent. Sed, haec prolixius diſcutere, non eſt hujus loci, praeſertim cum (r) id alia occaſione jam factum fuerit.

§. 27.

Sufficit interim, me ex ipſis antiquorum monimentis clare demonſtraſſe, medicos fuiſſe, qui *pharmaceuticam*

---

ri ratione *Romae* ſummos honores conſecutus eſt, imo & ſtatua poſita immortalitate donatus. Poſt *Commodum* denique *Severus* medicis addidit annonas ex publico: Vid. Gothofred. in l. Medicos. C. de Prof. & Med. Lib. 10. Fuerunt autem inprimis ex medicis, qui immunitatem omnium munerum civilium acquiſiverunt *Archiatri* aut ex *Archiatris*, qui medendi ſparta defungebantur in *comitatu Principis*: Vid. l. 6. C. de Prof. & Med.

(p) in *Auguſto* cap. 59. & 81.

(q) Hiſtor. Natural. Lib. XXIX. c. 1. p. 252. *Caſſius Hemina* &c.

(r) Epiſtola gratulatoria ad D. D. *Hirſchmannum* Inaugurali ejus diſputationi *de Natura Peſtis* annexa.

ceuticam primi invenerunt, & primi quoque exercuerunt, ac proinde Reipublicae commodis utilius conſuli non poſſe, quam ſi denuo cum univerſo medicinae corpore uniatur, & *pharmacopoei* intra antiquos ſuos limites conſtringantur: Ita enim habebunt demum, quod de felicitate artis ſuae ſibi gratulentur medici. Et quamvis in ea, qua vivimus, morum & hominum corruptione, felicia iſta tempora vix videantur eſſe ſperanda, quibus fauſtos horum conſiliorum, ſola etiam ſimplicitate ſeſe commendantium, ſucceſſus videamus. Attamen *officinas* iſtas *publicas* majora quotannis decrementa eſſe paſſuras, praeſens earundem conditio non patitur nos dubitare. Id quod eo adhuc certius eventurum eſſe, haud vane auguramur, ſi *Studioſi medicinae* ſub fideli *Profeſſorum*, talibus in rebus exercitatorum, manuductione *chymiae* & *pharmaciae* totis viribus in Academiis incubuerint, & ad praxin tandem admoti privatam medicamentorum diſpenſationem ſuis aegrotantibus prudenter commendaverint, parum curantes, licet eo ipſo crabrones acriter irritaverint: Semper enim & abunde habebunt, unde vitam ſuam *honeſte* tranſigant, dico, *honeſte*: Ad vitam enim *honeſte* tranſigendam multo & pompoſo apparatu opus non eſt.

F I N I S.

PRÆFATIO.

Hippocratem *cum* Juſtiniano *commiſſuro nemo mihi objiciat, parum decere, plebejum hominem Imperatori Romanorum comparare, & Diademati Regio peſſimè convenire cum Jätrorum matula, & omnium maximè ridiculum belli exitum fore, quod* Ille Huic *ingenti non minus temeritate quàm intolerabili faſtu indicere non dubitavit. Verùm enim verò res omnis eſt in ſalvo: Praeterquam enim, quod* Hippocrates *genus ſuum ad* Aeſculapium *&* Herculem, *atque adeò ad Regiam planè ſtirpem retulerit; Id quoque Optimum Senem, qui hominem ſe eſſe ultro faſſus eſt, nihilq; unquam humanum à ſe alienum putavit, ab omni audaciae pariter ac ſuperbiae culpa abſolvere pleniſſimè poteſt, quod nolentem volentem ſuas in partes pertraxerit* Ju-

ſtinianus, *ſuasque Leges non minus hypotheſibus quàm auctoritate* Hippocratica (*citra omnem tamen Optimi Viri culpam*) *munitas atq; roboratas ad poſteros ſuos transmiſerit. De belli verò exitu, utut plerumq; dubio atq; ancipiti, eò ſecurior eſſe poteſt* Hippocrates, *quò juſtior non tantum ejus ſuſcipiendi cauſa fuit, ſed &, quò certius perſuaſus eſt, non tantum incruentum illud fore, ſed &, qui bellorum omnium ſcopus eſt, pacem, rerum omnium optimam, inter utrumq; hoc medio reſtitutum iri. Atq; eundem planè finem intendimus hiſce noſtris qualibuscunq;* velitationibus medico-forenſibus, *quas vel ideò neminem JCtorum offenſuras eſſe, firmiter nobis perſuademus, quod ipſa meridiana luce clarius eſt, multa mutuâſſe à Philoſophis & Medicis antiquis JCtos priſcos, quae vel fucata auctoritate vel falſis hypotheſibus vel erronea planè doctrina illorum nituntur. Quibus proinde controverſiis dum clarius ex recentiorum inventis pariter atque ratiociniis lumen fœnerandi animus eſt, vitio omni cariturum hoc noſtrum inſtitutum, non eſt, quod dubitemus. Faxit modò ſupremum Numen, ut ſuccedat feliciter!*

Trans-

TRANS-SUMPTIO

Lex 12 ff. de Stat. Hom.

Septimo menſe naſci partum perfectum, jam receptum eſt, propter autoritatem Doctisſimi Viri, Hippocratis, *& ideò credendum eſt, eum, qui ex juſtis nuptiis ſeptimo menſe natus eſt, juſtum eſſe filium.*

Lex 3. §. fin. ff. de ſuis & legitim. hæred.

De eo autem, qui centeſimo octogeſimo ſecundo die natus eſt, Hippocrates *ſcripſit, & Divus* Pius *Pontificibus reſcripſit, juſto tempore videri natum.*

EXPOSITIO.

§. I.

RElinquimus utramque legem ſuo in pretio; Sive enim partus *ſeptimeſtris* agnoſcatur *vitalis* atque *legitimus*, ſive minus: Ideò tamen non ceſſabunt eſſe utiles. *Priori* caſu non tantum plurimarum honeſtarum Matronarum fama & exiſtimatio conſervabitur integra & illaeſa, ſed innumeris etiam litibus forenſibus anſa praeſcindetur: *Poſteriori* verò ſollicite evitabuntur poenae, anticipatae aliâs veneri conſtitutae, nec ſua diſputabuntur jura partui, marito inprimis nil movente; Quod ultimum nuper denuò adnotavit *REINOLDUS* Noſter.

§. 2.

Ratio verò dictarum legum usque adeò levi[s] eſt atque ficulnea, ut mirer, non pudere ejusdem Juriſperitos. Ideone enim partus ſeptimeſtris vitalis erit atque legitimus, quod *Hippocrates* hoc dixit? Vel, an is, qui centeſimo octogeſimo ſecund[o] die natus eſt, ideò juſto tempore natus eſſe videtur quod *Hippocrates* hoc ſcripſit, & Divus *Pius* ab ill[o] deceptus Pontificibus reſcripſit? Ut enim taceam, *Erotianum* libros aut ſaltem alterutrum de *partu ſeptimeſtri* ſpuriis *Hippocratis* adnumeraſſe, & *Clementem Alexandrinum* una cum *Plutarcho* eosdem *Polybo* vindicaſſe; Id inſuper ſummo jure urgemus, ſeptem hujus nominis (Hippocratis) fuiſſe, ſicuti ex Tabulis Genealogicis, *Lindeniana in editione operum Hippocraticorum* adductis, liquet: Quisnam ergò nobis jam vaticinabitur, num *Cous* vel quiscunque alius hujus nominis librorum iſtorum auctor extiterit? Id ſaltem, *Coum* ſcripſiſſe, audacter nego, quia, praeterquam quod nugas aniles redoleat, tenuitas quoque ſcriptorum vaſto *Hippocratis* ingenio non reſpondet.

§. 3.

Quid? Quod in Scholis Medicorum inſolitum & quaſi inauditum ſit, auctoritatem viri cujusdam, ut ut Doctiſſimi, licet etiam *Claſſici* planè *Auctoris* ampliſſimis titulis atque honoribus à quibusdam exornaretur, tanquam principium allegare. Nihil hîc admittitur, niſi infallibili experientia confirmatum & inconcuſſo inſuper ratiocinio roboratum fuerit.

§. 4.

Quomodocunque verò res ſeſe habeat, quascunq;

cunque ſpinoſas implicationes & tricas facilè evitabimus, dummodò ad ſequentia animum diligenter advertere jubeamus.

Primum eſt: Multum inter ſeſe mutuò differre *vivum* atque *vitale*. *Vivus* ſimul atque *animatus* eſt & dici poteſt fœtus à primo ſtatim conceptionis momento; *Vitalis* verò ab eo demum tempore cenſendus eſt, quo eam organorum corporeorum perfectionem adquiſivit, ut motibus animalibus aeque ac vitalibus edendis habilis evadat: Unde conſequitur, *vivum* eſſe poſſe fœtum, utut non ſit *vitalis*, non tamen vice verſa.

Alterum eſt: *Vitalitatem* iſtam aeſtimandam eſſe ex ejusdem qualicunque *duratione*: Unde fœtus *vitalis* non modò ad *vitam*, ſed & ad *robur* partium abſolutus ſit oportet. Ad utrumque verò aptus judicandus, qui non tantum *vivus* in lucem publicam prodit, ſed & ea partium organicarum confirmata textura & ſtructura gaudet, ut aliquamdiu in vivis permanere & motus tàm vitales quàm animales edere queat.

Tertium eſt: *Partum* ejusmodi *vitalem* omni modo diſtinguendum eſſe ab *abortivo*: Siquidem *abortus* non ſolummodò intempeſtivè excluditur, ſed & quoad plerarumque ſuarum partium & organorum conformationem imperfectus & immaturus eſt, adeò ut, licet *vivus* eſſe videatur, is ipſe tamen nec in libero aëre perdurare, nec nutrimento per os propter imperfectam & nondum plenè abſolutam organorum alimentarium ſtructuram frui poſſit. Unde fluit, in vero *abortu* determinando non tantum ad ipſam periodi temporis anticipationem ſeu prae-

 matu-

maturam ejusdem ante legitimum pariendi tempus excluſionem, verùm etiam ad ipſam *partus* talis immaturitatem & imperfectam organorum corporeorum elaborationem attendendum eſſe.

Quartum eſt: Partum *legitimum* ſenſu *medico* illum adpellandum eſſe, qui ea organorum atque partium *textura* atque *ſtructura* gaudet, ut *actibus* ſive *animalibus* ſive *vitalibus* cum qualicunque *duratione* edendis aptus ſit: *Juridico* autem illum denotare, qui ex juſtis nuptiis natus eſt, atque adeò jus ſuccedendi in bona paterna habet &c.

Quintum eſt: *Vitalem* proinde eſſe ac dici debere foetum, qui non tantum tempeſtivè excluſus eſt, ſed & perfecta omnium membrorum & organorum conformatione gaudet, ut alimentum ſugendo ore recipere, vocem plorando edere, ſternutare, excrementa egerere &c. queat: *Non vitalis* ê contra eſt, qui nec debito tempore emiſſus eſt, nec ungues digitorum in pedibus ritè formatos habet, nec ſugit, nec plorat, nec ſuum, quod dicunt, meconium deponit. Quae ſigna cuncta tantò concludunt efficacius, quò plura illorum ſimul concurrunt & contra.

Sextum eſt: Gravidam *regulariter* circa dimidium geſtationis tempus motus foetus *animales* manifeſto ſenſu percipere; Unde concludere licet, abſolutam quidem jam eſſe omnium partium conformationem, ob nimiam tamen earundem teneritudinem & ſubtilitatem aërem atmoſphaericum perferre, ac proinde, ſi eo tempore in lucem ederetur, *ſuperſtitem* eſſe non poſſe.

Septimum eſt: Foemellam in actu congreſſus

mari-

maritalis ex *ſingulari*, quo perfunditur, *ſenſu*, ſcire poſſe tempus impraegnationis, vix dubitamus: Subinde tamen etiam idem illud nonnullas ignorare, pariter certum eſt, quae nempè ad ea, quae in corpore ſuo fiunt atque contingunt, minus curioſè attendunt; Exemplo meretricularum, turpem quaeſtum ſuo ex corpore facientium.

Octavum eſt: Subſiſtentiam verò menſtruorum, vomitum vel ſaltem nauſeam indeque ortam cardialgicam anxietatem, odontalgiam, ventris intumeſcentiam, obſcuros quosdam motus in infimo ventre ſubinde ſubortos, incerta & fallacia ingravidationis ſigna eſſe, & ultro fatemur, & innumeris experimentis obſervatio ſolers confirmat. Interim aequum omninò ac juſtum eſt, ab eo tempore calculum duci, quo foetus eſſe vel exiſtere coepit: Quia impoſſibile eſt, *verum partus terminum* determinare, ſi *conceptionis tempus* ignoretur.

Nonum eſt: Naturam foemellis *in univerſum* non varium & multiplex, ut *Ariſtoteles* ſomniavit, pariendi tempus indulſiſſe, ſed *certum, fixum*, & *limitatum* praeſcripſiſſe *terminum*, quo foetus humanus eum perfectionis gradum adipiſcitur, ut omnibus membris, organis atque partibus ritè inſtructus non modo clauſtra uterina, quibus hucusque concluſus fuit, *vivus* perrumpere & macrocosmi incola fieri, ſed & omnes eas functiones edere poſſit, quae *vitae* aliquousque cum *duratione* continuandae inſerviunt.

Decimum eſt: Solemne illud tempus *regulariter, ordinarie* & maximè *naturaliter* incidere in *finem noni* & *initium decimi* menſis; Atque hanc regulam usq; adeò

adeò *univerſalem* eſſe, ut omnes *indiſcriminatim* mulieres, ſive in *Europa, Aſia, Africa* vel *America,* ſive in *Aethiopia, Aegypto, Penſylvania* ſive quacunq; demum alia mundi parte aut regione aut ipſis planè, ſi qui dentur, finibus terrae degant, dicto ſolemni tempore pariant, climatum ſive calidorum ſive frigidorum ſive temperatorum diverſitate nihil prorſus diſcriminis hic pariente.

Poſtremum eſt: Neque tamen ideò *Naturam* regulae iſti cum *Ammanno* tàm ſtrictè alligandam eſſe cenſemus, ut, ſi ſubinde uno vel altero menſe ab eadem recedat, vel *anticipationis nuptiarum*, vel cujuscunque alterius *illicitae veneris* inſimulandae ſint mulieres: ſed terminum iſtum cum *congrua* quadam *latitudine* accipiendum, non nimium tamen extendendum eſſe, ne licentiae, fraudibus atque deceptionibus fores aperiantur, & hoc ipſo dignitati, honori atque ſanctitati *matrimonii* inevitabile praejudicium objiciatur, vel e contra *pudicitiae* honeſtarum fœminarum vis inferatur.

§. 5.

Ex quibus omnibus ordine ſic praemiſſis nunc citra praejudicium auctoritatis omnes *partus citerioris* differentiae enodari facilè poſſunt, an ad *vitales* & *legitimos* partus vel ſecus referri mereantur; Dummodo univerſalis regulae inſtar illud ſemper animo noſtro praefigamus, quod ſuperius praeſuppoſuimus, nempè maximè *naturalem* partus humani *terminum* eſſe *finem noni* & *initium decimi* menſis.

§. 6.

Sponte itaque ſequitur, foetus bimeſtres, trimeſtres, quadrimeſtres (per Supp. I.) *vivos* quidem, nunquam

quam autem *vitales* & per conſequens *legitimos* eſſe poſſe. Atque adeo (per Supp. III.) potiorem locum inter *abortus* illis relinquendum. Quanquam enim, quod *Kerckringius* aliique rectè obſervant, fœtus, poſteaquam unum tandem menſem naſcendo explevit, perfectam hominis formam induerit, adeò ut multis jam in partibus oſſeam oſtentet firmitatem; Ut credibile ſit, menſibus ſequentibus tantò majus robur nactas fuiſſe omnes partes: Attamen (juxta Supp. II.) jure metuimus, ut iſta qualiscunque *vivacitas* cum *aliquali* ſaltem *duratione* conjuncta ſit.

§. 7.

Idem ſentiendum eſſe exiſtimamus de *partu quinquemeſtri*; Atque adeò ſententiam noſtram de *vitalitate* partus *quinque* & *ſemeſtris*, quam ante aliquot jam annos in *Diſputatione* de *partu octimeſtri vitali & legitimo* Halis Magdeburgicis ad ventilandum publicè propoſita adſtruximus, nunc, re penitius expenſa, revocare non veremur; Quia, etſi (ſecundum Supp. I. II. & V.) quoad organorum ac partium ſuarum conformationem abſolutus ſit, *durabilem* tamen eundem fore, & *vitalibus* aeque ac *animalibus* actibus edendis aptum, adfirmare non audemus: Quia multum differt, perfectam partus humani ſubſtantiam obtinuiſſe ejusmodi foetum & ea pollere organorum diſpoſitione, ut iis ſeorſim vivere alique per naturam poſſit. Quare (juxta Supp. III.) *abortuum* potius, quam verorum *partuum* nomen merentur. Proindeque ſi fœtus *quinquemiſtris* omnibus modis atque numeris abſolutus in lucem prodeat, ſuſpicione *furtivorum amorum* eundem non vacare, ultro confitemur.

§. 8.

Iisdem planè difficultatibus *Semeſtrem* quoque *partum* ſubjacere, vix amplius dubito, quanquam aliter olim ſenſerim. Licet enim (per Supp. I. & II.) *vivus* prodeat, ob debilitatem tamen organorum corporeorum & imperfectiorem eorundem elaborationem *vitae durabilis* capax non eſt.

§. 9.

Aliter verò de *partu ſeptimeſtri* ſentiendum eſſe exiſtimo; Non ideò tamen, quod *Hippocrates*, quem Jura *Virum Doctiſſimum* vocant, vel quod leges, quae medicorum placita talibus in caſibus ſequuntur, illum tanquam *vitalem* & *legitimum* agnoſcant, neque ideò, quod *ſeptimus* menſis *criticam* quaſi *rationem* habeat, ad foetum eo ferme modo excutiendum, quo natura in morbis acutis materiam febrilem vel per ſudores vel per urinas vel diarrhoeam vel alio quodam excretionis genere evacuat: Sed quod (ſecundum Supp. I. II. IV. V. & IX.) eam organorum ſuorum perfectionem hoc menſe adquiſiverit, ut non modo *vivus* naſci, ſed & aliquamdiu *in vivis* permanere, omnesque actus tàm *animales* quàm *vitales* legitimè edere queat; Id quod, ut partus *vitalis*, *perfectus*, *maturus*, *naturalis* & *legitimus* (ſenſu medico) vocetur, ſufficit. Proindeque ſatis ponderoſas cauſas habuiſſe non videtur *Ammannus*, cur (vid. Supp. ult.) priorem ſuam ſententiam de *congrua* quadam *latitudine* partum humanum *tempeſtive* & legitimè excludendi, quam in *Medicina Critica* operosè adſtruxerat, nunc in *Irenico* tanquam ab omni veritate alienam revocaret. Neque enim, credo, erroris calculi unquam convincet mulierem,

cujus

cujus meminit DD. *Valentini*, quae puerperii tempore denuò impraegnata *ſeptimo* menſe partum, omnibus numeris abſolutum & ſucceſſivè ad virilem conſiſtentem aetatem evectum, publicam in lucem emiſit. Ut hac vice ſilentio praeteream *Sylvii* obſervationem, qui integras dari familias adnotavit, quarum foeminae partus ſuos omnes *ſeptimo* menſe *vitales* excluſerunt.

§. 10.

Tantò verò ſecurius *octimeſtrem* partum *vitalibus* atque *legitimis* adnumerare licebit, quicquid etiam de *duabus ei continenter contingentibus* in utero *adflictionibus* fabuletur *Hippocrates*, & ex illo JCtorum plerique, quorum nonnulli *octimeſtrem* tanquam *mortuum*, alii *abortivi foetus* inſtar conſiderant, alii denique ejus conditionis eſſe credunt, nt *ex ſui natura vivere* minimè poſſit. At verò jam dudum ex JCtis (ut Medicos hac vice taceam) haſce difficultates ſolidiſſimè diſcuſſit Per-Illuſtris L. B. *de Cocceji*, ita ratiocinando: *Si* ſeptimeſtris (quod plerique concedunt, qui ejusdem *vitalitatem* adſtruunt) *perfectus eſt ratione ſubſtantiae ſuae, erit & octimeſtris, quia cum tempore non minuitur ſubſtantia partus humani, ſed perficitur magis.* Cum igitur *octimeſtris* (ſecundum Supp. X.) terminum pariendi ordinarium, regularem & maximè naturalem propius attingat, quàm *ſeptimeſtris*, quis eſt, qui ambigere audeat, quin multis modis perfectior & *vitae durabilioris* capacior ſit futurus? Atque adeò jure tandem concludimus: Aut *ſeptimeſtrem* cum *octimeſtri vitalium* numero *ſimul* excludendos, vel *utrumque ſimul* admittendum eſſe.

§. 11.

De *nonimeſtri* partu ejusdemque vitalitate, quantum novimus, nulla unquam controverſia mota fuit: Eſt enim (ſecundum Supp. X.) ordinarius hic, naturalis & usque adeò univerſalis terminus, quo fœtus utriusque ſexus in hunc mundum prodire conſueverunt, ut, cujuscunque etiam temperamenti & habitus corporis fuerint, ſub quocunque coelo atque climate vixerint mulieres, ordinarie tamen alio tempore parere non ſoleant, quàm circa *finem noni* & *initium decimi* menſis. Nihilominus jam in genere faſſi ſumus ſuperius, nonnunquam citius ad pariendum incitari poſſe genetricem, terrore nempè, ira, lapſu aliisque cauſis tàm externis quàm internis incitatam.

§. 12.

Ex quibus omnibus ſequentia tandem elicimus conſectaria:

I.) Damnoſiſſimum eſſe praejudicium Auctoritatis, potiſſimum in rebus, famam exiſtimationemque foeminarum ſpectantibus: Unde ſuis in judiciis cautum eſſe oportet medicum, ſi matronis honeſtae non minus vitae quàm integrae famae circa *partus* negotium controverſiae moveantur.

II.) Neque decere eundem, ut nimis rigidum atque ſeverum *pulchrioris ſexus* cenſorem ſeſe exhibeat: Quo nomine meritò notamus *Paulum Ammannum*, Medicum quondam & Profeſſorem *Lipſienſem*, qui omnes *partus* in *finem noni* & *initium decimi* non inci-

incidentes *illegitimos* eſſe declarat, ad anticipatas nuptias, ſcortationem vel quamvis aliam illicitam venerem eos omnes reducendo: Id quod foeminarum honeſtarum famam multis modis offendere poteſt.

III.) Neque nimium indulgendum eſſe ſpinoſis diſputationibus aut nimiae philoſophandi libertati vel excogitandis ſubtilibus ſpeculationibus in negotio, *partum humanum* ejusque inprimis *modos fiendi* determinante, quia talibus rebus medici in decidendis controverſiis, *partus humani vitalitatem* concernentibus, non tantum nihil juvantur, ſed tantò certius novis difficultatibus implicantur.

IV.) Unde noſtra ſententia parum refert curioſè inquiſiviſſe, an una cùm ſemine maſculino vermiculi viventes foemellae communicentur? Tales enim ſpeculationes verminoſas Philoſophis atque Medicis verminoſis relinquimus: Neque eum in finem opus eſt, ut, quod in *Bibliotheca mixta*, quam *confuſam* rectius dixeris, nuper relatum eſt, foedum experimentum cum ſemine contagio venereo coinquinato inſtituatur, qua de re tamen Moralium Doctores diſpiciant. Me piget talia referre.

V.) Corruit quoque diſtinctio inter foetum *animatum* & *inanimatum*: Quinimò gratuita eſt adſertio, fœtui mari die quadrageſimo, foemellae ſexageſimo, vel ſecundum alios circa dimidium geſtationis tempus animam rationalem infundi, quae quippe à primo ſtatim conceptionis momento fœtui communicatur.

VI.) Sequitur porro: Adſertum Auctoris Libri de *partu octimeſtri*, ſive *Hippocrates* ſive quiscunque

que alius fuerit: *Omnem foetum menſe octavo in utero matris aegrotare*; Nempè *propter commotionem, quam circa finem ſeptimi & initium octavi menſis in utero ad exitum moliatur*, eſſe falſiſſimam & proprio innumerarum foeminarum ſenſui contrariam.

VII.) Falſum itidem eſſe, foemellas integris decem diebus tardius pueris in Utero Materno formari: Unde ſua ſponte alterum quoque concidit: Filias tardius pueris publicam in lucem prodire.

VIII.) Non eſſe quoque attendendas vanas Aſtrologorum ineptias, quas in *partus humani* negotio commenti ſunt: Ideò nempè *octavum menſem* partui usque adeò fatalem eſſe, quod *Saturno* dicatus ſit.

IX.) Fidem vel credulitatem, promiſcuis Mulierculárum relationibus ſubnixam nullius eſſe momenti: Credunt illae v. g. in ſuffocatione ita dicta hyſterica uterum ad fauces usque adſcendere ibidemque ſuffocationem minari; Quod tamen chymaericum eſſe, autopſia Anatomica ſatis demonſtrat.

X.) Ideò tamen omnem fidem ipſis denegandam non eſſe, in eo potiſſimum exquiſito ſenſu, quem conceptionis tempore ſuis in corporibus perſentiſcunt, firmiter nobis perſuademus: Unde *Ammannus* ipſe fallitur, dum falli exiſtimat mulierculas in computo ducendo, à quo nempè tempore gravidae factae fuerint? Neque enim usque adeò incerta ac dubia ſunt ingravidationis vel conceptionis ſigna, uti quidem perperam ſibi perſuaſit *Ammannus*, niſi de furtivis & meretriciis amoribus proſtibulorum publicorum, quaeſtus cauſa corpus ſuum exponentium, id intelligere malis.

XI.) A-

XI.) Aliquando tamen errorem calculi committere mulierculas, non negamus, inprimis ſi computi ducendi initium faciant à ſubſiſtentia menſtruorum, quod quippe ſignum, quotidiana fermè experientia monſtrante, valdè dubium, fallax & aequivocum eſſe ſolet.

XII.) Non omnem congreſſum maritalem eſſe foecundum: Non enim ſequitur, virum ſanum ac robuſtum uxori ſanae atque robuſtae cohabitantem hanc neceſſario impraegnare debere: Quia multae poſſunt eſſe cauſae, quae conceptionem in foemella impediunt.

XIII.) Calvum tamen, vanum & irritum eſſe ſubterfugium, ſi, quae ſponſalia cum nuptiis confudiſſet, ac proinde quinto vel ſexto menſe partum vitalem omnibusque numeris abſolutum edidiſſet, inde anticipationem iſtarum cupediarum venerearum excuſare vellet, quod uterque parentum robuſti & quaſi athletici corporis habitus nec non plethoricae atque vividae conſtitutionis fuerit: Mulieres enim Weſtphalae, quae pane grosſiori (bon pour Nicol) & Helvetiae, quae ſolo lacte & caſeo veſcuntur, indeque robuſtum corporis habitum contrahere ſolent, terminum partus ordinarium ideò anticipare non ſolent, ſed foeminarum tenerrimarum & maximè delicatarũ, victu delicatiori utentium inſtar, ordinarium & maximè ſolemne pariendi tempus expectare debent, ut partus ſuos utcunque robuſtos, &, ut loqui vulgò amant, quadratos *vitaliter* & *legitimè* excludant.

XIV.) Poſſe nos etiam ſuperſedere vanis iſtis & inutilibus altercationibus, quas hucusque circa dif-

differentiam menſium *ſolarium* & *lunarium* moverunt Juriſperiti pariter ac medici; Nullum fermè alium in finem, quàm ut auctoritas *Hippocratis* in tuto collocaretur.

XV.) Nec denique tolerare nos poſſe paraſiticam quorundam adulationem, qui Auctoris Claſſici, cujus generis homines *Ammannus* pro ſuo more, i. e. facetè, prout facetiarum amantiſſimus erat, Pygephoros (Tambours del Culo) vocare ſolet, honores ac titulos ampliſſimos decreverunt *Hippocrati*, quos quippe in Dialogo cum *Numa Pompilio* ipſemet humillimè deprecatur.

SPECIMEN ALTERUM MEDICINAE FORENSIS

PRAEFATIO.

NOn dubito, fore quam plurimos, qui mihi imputaturi ſint, quaſi leges publicas, Imperatoria planè Majeſtate munitas cavillari, illarumque valorem, quem totidem ſeculis illibatum in foro conſervarunt, in dubium vocare praeſumam. At verò, cùm ſatis mihi, ut cuivis alii, perſpectum ſit, ab officio boni Civis abhorrere, publicas leges traducere vel prorſus deridendas aliis propinare: Ita & ſolemniter proteſtor, & ſanctè profiteor, me, dum varias leges earumq́ Interpretes in ſcenam producturus ſum, nullum alium mihi ſcopum praefixum habere, quàm ut multa, partim ab antiquis rectè ſancita confirmem, partim verò etiam nonnulla ſecus dicta Recentiorum obſervationibus emendem. Quod meum inſtitutum probro mihi quempiam daturum, tantò minus metuo, quo plures jam an-

te me hanc ſemitam calcarunt viamq́ praemonſtrarunt, ea, quae à priſcis Philoſophis pariter ac Medicis in forum ſuum transtulerant Juriſperiti, expungendi taliumq́ legum falſis fundamentis ſuperſtructarum valorem infringendi vel in qualecunque Reipublicae emolumentum corrigendi. Id quod nec Legiſlatorum auctoritati nec DD. atq́ interpretum exiſtimationi quicquam derogaturum confido. Quemadmodum verò praecedenti Specimine *differentias* Partus Citerioris *ex fundamentis, inconcuſſa non modo ratione ſed & infallibili experientia ſuffultis methodo demonſtrativa deduximus: Ita nunc paucis adhuc de* Ulterioris Partus *differentiis diſpiciemus, divinum auxilium eum in finem humillimè imploraturi.*

TRANS-SUMPTIO.

Ulp. in l. 3. §. 11. ff. de ſuis & leg. hæred.

Poſt decem menſes mortis natus non admittetur ad legitimam hæreditatem.

Juſtin. Nov. 39. Cap. 11. de Muliere, quæ peperit undecimo menſe.

Secundum verò illud de mulieribus, quæ poſt prio-

priores nuptias ad ſecundum venerunt matrimonium, antequam annus expleretur - - - - - - - - Unde ſancimus, ſi quid tale contigerit & ante luctus tempus pepererit mulier circa terminum anni, ut indubitatum ſit, ſobolem non ex priori ſubſiſtere matrimonio: Modis omnibus eam privari ante nuptiali donatione, & ſecundum proprietatem & ſecundum uſum: Subdendam quoq; omnibus aliis poenis, ac ſi ſecundas eam contigiſſet ante luctus tempus legitimas celebraſſe nuptias. Non enim aliquid amplius habebit caſtitate luxuria: Sed ſubjiciatur quidem & ipſa poenis, periculumque ſuſtineat etiam circa ſpem ſcripturae propter ſtuprum: Ut neque nuptias intempeſtivas deſideret, neque legitimas nuptias majore malo circumveniat.

Cod. Libr. VI. Tit. XXIX. l. fin. de poſthum. hæred. inſtituend.

Quidam cum teſtamentum faciebat, his verbis uſus eſt: Si filius vel filia intra decem menſium ſpatium poſt mortem meam editi fuerint, hæredes ſunto. *Vel ita dixit:* Filius vel filia, qui intra decem menſes proximos mortis meæ naſcentur, hæredes ſunto.

EXPOSITIO.

§. I.

MIror ego vehementer inconſtantes JCtorum adſertiones. Neque enim comprehendere facile licet, quid cauſae ipſos commoverit, ut *Hippocratis* auctoritatem in *partu undecimeſtri* agnoſcendo flocci penderent & pedibus quaſi conculcarent, qui tamen nuper demum in declarando partu ſeptimeſtri, ut vitali & legitimo, eandem usque adeò extulerunt, ut *Legi 12. ff. de ſtatu hominum* Coi hujus ſententiam de partus ſeptimeſtris vitalitate, unde potisſimum (ſecundum Suppoſ. IV. Specim. I.) ſtatus ejus legitimus (ſenſu medico) aeſtimandus eſt, fundamenti loco ſubſtraverint. Nullam certè ſolidam diſcrepantis hujus opinionis rationem comprehendo, niſi fortè ſuſpicari liceat, politicas habuisſe rationes primos legum iſtarum Conditores, priori in caſu *Hippocrati* adſenſum ſuum denegandi, poſteriori verò eidem plenisſimè adſentiendi. *Paulus Ammannus*, ex cujus ſcriptis boni atque ingenui viri idea ubique elucet, quique hiſtoriam ſui temporis exquiſitè calluiſſe videtur, aſtute ſubolfeciſſe, &, nî me omnia fallant, acu rem intellexiſſe adparet, dum Caſus XXIX. & XLIV. in medicina ejus critica adlatos, quibus nempè quaeritur; Utrum *partus undecimeſtres* ſecundum naturam poſſibiles atque adeò legitimi ſint, acerrima hac criſi perſtringit, *poſthumum* nempè *undecim menſium* legitimum haud fuiſſe, eò quod ἀνάργυρος fuerit; (Er ſey ein armer Teuffel geweſen) Et contra *poſthumum duodecimeſtrem* quàm maximè legitimum à DD. Medicis ejus temporis

pro-

pronunciatum eſſe, eò quod ἐνάργυρος fuerit (weil er vielleicht einen ſchweren Beutel gehabt) Unde etiam ſcomma illud, *Auguſto* à vulgo objici ſolitum hûc meritò adplicandum eſſe exiſtimavit:

Sunt divitibus etiam trimeſtres liberi.

Sed ſuſpicio tantum eſt. Neq; enim Juſtitia, quae coeca vel oculos ſaltē peplo obvelatos oſtentans pingitur, *pecuniae* rationē habuiſſe, temerè inſimulanda eſt. Tanto verò minus injuſtitiae notam amoliri à ſeſe poſſet natura, ſi *undecimo menſe* foetum protrudendo, *illegitimè* feciſſe, *duodecimo* verò ſuo rectè perfunctam fuiſſe officio redargui poſſet. Aut enim vanam adulationem aut politicam rationem ſubeſſe oporteret, ſi haec ita ſeſe haberent, i. e. *undecimeſtris*, qui tamen (ſecundum Suppoſ. IX. & X. Specim. I.) ad naturalem, ordinarium & quàm maximè regularem partus humani terminum propius accedit, *illegitimus*, at verò *duodecimeſtris* quam maximè legitimus eſſet, qui tamen (per idem Suppoſ.) integro menſe ab eodem recedit longius. Verum pleniorem ſuſpicioni huic locum foenerabitur temporum, quibus vivebat *Ammannus*, indoles atque diſpoſitio, cujus quippe ſcientisſimum fuiſſe eundem, exquiſitum, acre, perſpicax & ad omnia undiquaque circumſpiciens Viri prudentis judicium non ſinit nos dubitare.

§. 2.

Quicquid verò horum ſit, nos certè negotium tanti momenti, à quo ſubinde jura ſuccesſionum in integras ditiones, principatus atq; regna dependent, non coecis hominum adfectibus, non praejudicatis opinionibus, non adfectata eorundem auctoritate

 metien-

metiendam, ſed ex ipſa rei indole atq; natura aeſtimandum eſſe, omni jure praetendimus. Quod ut legitime fiat, praeter ea, quae jam *Specimine primo* fundamenti loco ſubſtrata ſunt, ſequentia denuo à nobis praeſupponenda erunt.

Primum eſt: Per *partum undecimeſtrem* non illum tantum intelligendum eſſe, qui circa initium vel medium hujus menſis, ſed &, qui eodem jam completo publicam in lucem prodit: Quo eodem etiam modo de *duodecimeſtri* & reliquis ratiocinandum eſt.

Secundum eſt: Tanto magis legitimum eſſe declarandum partum, quanto propius ad terminum partus humani ordinarium & maximè naturalem accedit, & contra.

Tertium eſt: *Naturam*, ut Senecae verbis utamur, *ſui juris eſſe, nec ad leges humanas componi aut ſemper ex formula reſpondere; Modò properare, modò vota praecurrere, modò lentam eſſe & remorari:* Unde nulla adparet ratio, quare partus, qui uno vel duobus integris menſibus terminum ordinarium anticipare potuit, non idem quoque unum vel alterum menſem poſtponere queat; Quorum *prius* in *ſeptimeſtri* & *octimeſtri*, poſterius verò in *decimeſtri* completo & *undecimeſtri* conſpicitur.

Quartum eſt: Non quamlibet imaginariam retardati partus termini cauſam in cenſum venire poſſe: ſed reales omnium *ulteriorum partuum* rationes allegandas eſſe, uti ſunt, diuturnus animi moeror atque luctus acerbus, quo gravida maritum defunctum proſeqvuta eſt; deinde febris tàm chronica quàm acuta vel quiscunque alius morbus, quo vidua graviditatis tempore crudeliter divexata fuit, vel ſi

gra-

graviſſima uteri haemmorrhagia eadem laboraſſet etc.

Quintum eſt: Hanc tamen qualemcunque *partus latitudinem* in *poſthumis* congruam eſſe oportere: Quia alias metuendum eſt, ne vel mille fraudibus atque imposturis viam pandamus, vel effraeni impudicarum mulierum licentiae fraena laxemus; Quod tamen utrumque Reipublicae maximè pernicioſum foret.

§. 3.

Quibus omnibus fundamentorum loco ita ſtabilitis, nunc de *partubus ulterioribus* & *poſthumis* eorundemque ſtatu legitimo noſtrum aperire judicium non erit difficile. Et quod proinde *partum decimeſtrem*, qui eodem completo prodit, attinet, tanto minus dubitamus *legitimum* declarare eundem, quo propius (ſecundum Supp. II.) terminum partus humani ordinarium attingit, &, quo certius eſt, eundem (juxta Supp. V. Specim. I.) omnium organorum ac partium perfectiore conſtructione gaviſurum ac proinde omnes actus vitales pariter ac animales eò alacrius atque conſtantius editurum.

§. 4.

Neque dubium eſt de *undecimeſtri* incipiente, quin *legitimi* ſint partus; Quos quippe ne ipſe quidem *Ammannus* prorſus rejicere auſus eſt. Neque quicquam video obſtare, quò minus ejusdem argumentum, quo in *Medicina critica* quondam uſus eſt, ſatis rectè procedat: Nam ſi *partus* uno vel altero menſe, ſicuti in *citerioribus* patet, anticipare poteſt: Nihil impedit, quò minus idem quoque partus uno vel altero menſe ultra conſtitutum terminum exten-

tendatur, atque ita *partus ulteriores*, nempe *decimeſtres* & *undecimeſtres* legitimi dentur. Quod verò in *Irenico* cum *Numa Pompilio* ſuam deinde ſententiam immutaverit, priorem ſolemniter revocando, omnesque *poſthumos*, terminum partus ordinarium poſtponentes, eidem errori calculi, ut *citeriores* obnoxios reddendo, vel fraudibus & circumventionibus mulierum eosdem *promiſcue* imputando, id ſufficienter comprehendere nos non poſſe, ultrò fatemur.

§. 5.

De reliquis verò omnibus, menſem *duodecimum* ſuperantibus partubus audacter adſeverare non veremur, eos omnes fabuloſos, fallaces atque meretricios eſſe; Quia, etiamſi (ſecundum Supp. V.) mulierum partui *congruam* concedamus *latitudinem*, non tamen nimium eandem extendendam eſſe exiſtimamus, quia alias infinitis fraudibus anſa ſubminiſtraretur: Unde nemo non jure ridebit decretum *Parlamenti Gratianopolitani*, quod partum quatuor annorum, quem mulier in abſentia mariti ediderat, legitimum declaravit, ob rationem, quam quilibet exploſione dignam judicabit, nempe hanc: Posſibile utique eſſe, Mulierem in inſomnio forti imaginatione commotam ac proinde maritum tàm vividè ſibi ſiſtentem, ac ſi cum eodem rem haberet, concipere inde potuiſſe. Vae autem miſeris puellis, extra matrimonium viventibus, ſi hoc verum eſſet! Homines ſunt, non Angeli. Quid quaeſo fieret cum illis, ſi phantasmatis venereis in ſomno illuſae, vivaciterque ſibi perſvadentes, ſe ab Amatoribus ſuis comprimi, ut ſubinde maſculorum inſtar polluantur,

ſi

ſi ſola phantaſia ſeu imaginatio tanta energia in illarum corpus agere valeret, ut eodem modo concipere inde poſſent, ac ſi cum Juvene Viro actu rem haberent. Abſit, fortem utcunque imaginationem tàm gravi pœna mulctare innocentes puellas, quarum triſtia fata tanto acerbius deploranda forent, quo minus phantaſticas tales nocturnas illuſiones eludere poſſunt, quantamcunque etiam circumſpectionem adhiberent.

§. 6.

Ex quibus interea cunctis ſequentes adhuc concluſiones elicimus:

I.) In re tanti momenti, *poſthumis* nempe ut *legitimis* declarandis, omni modo cavendum eſſe, ne vel in *defectu* vel in *exceſſu* peccetur. Utrumque tamen fieri, ſi vel ordinarius pariendi terminus nimis arctis limitibus circumſcribatur, vel contra nimia eidem licentia indulgeatur.

II.) Unde multis reſpectibus ſuſpecti nobis ſunt *partus tredecim, quatuordecim, quindecim* vel *ſedecim* menſium, tanto vero magis *duorum, trium* vel *quatuor* annorum &c. quippe qui meretriciam ſuam indolem ſatis produnt. Vix majori fide dignae ſunt monſtroſae hiſtoriae infantum, cum capillitio ac dentibus natorum, loquentium item & mox ab utero gradientium; Cur enim natura tantum faceret ſaltum?

III.) Non quasvis quidem cauſas partuum ultra conſuetum terminum retardatorum temerè allegandas vel admittendas eſſe; Cavendum tamen etiam, ne in agnoſcendo partu *decimeſtri, undecimeſtri* ac *duodecimeſtri incipiente* tanquam legitimo, nimium,

quàm par eſt, difficiles nos praebeamus, & quidem ob rationes nullius ponderis, quas allegare vulgo ſolent, uti ſunt (1) defectus nutrimenti, quod vix ſuffecturum eſſe credunt foetui tot menſibus in utero nutriendo, cùm certum ſit, tanto plus nutrimenti requirere eundem, quò diutius in utero retinetur. At vero praeter omnem necesſitatem finguntur difficultates, ubi nullae ſunt: Si enim ſanguis maternus ſufficiat partui extra uterum nutriendo, quare idem non ſufficeret illi nutriendo in Utero? Ejusdem (2) momenti eſt dubium à *Diemerbroekio* adlatum, qui ad paucos quidem dies ultra nonimeſtrem terminum aliquibus de cauſis partum differri poſſe concedit, at vero prorſus incredibile exiſtimat, illud ad unum, multò minus ad plures menſes fieri poſſe, cùm in quacunque mulieris conſtitutione incrementum caloris ſpatio novem menſium in foetum tantum fiat, ut ventilatione per reſpirationem opus habeat, eamque ob cauſam illi neceſſariò ex Uteri anguſtiis emigrandum ſit. Quod ipſum tantò minus attendi meretur, quò certius eſt, falſâ hypotheſi, nempe ſanguinis nimium excalefacti refrigeratione per reſpirationem illud niti.

IV.) E contra verò negligendae quoque ſunt ratiunculae, quas adferre vulgo ſolent, ad comprobandum, ultra ſolitum terminum ſubinde partum protrahi, cujus generis eſt, dum (1) partium genitalium ſive ſeminis intemperies frigida in utroque ſexu accuſatur: Unde quippe contingere dicunt, foetum & tardius formari, & tardius moveri & tardius quoque naſci. Praeterquam autem, quod intemperiei vocabulum admodum inconcinne de partibus

tibus genitalibus praedicetur: Experientia inſuper teſtis eſt, perſonas quàm maxime phlegmaticas, &, prout vulgo Galenici loqui amant, intemperie frigida laborantes, aeque tamen ordinario tempore partus ſuos excludere, ac cholericas vel intemperie maximè calida, ut rurſus phraſi Galenica utamur, adfectas. Neque (2) ullam conſiderationem meretur conſtitutio matris plethorica vel contra redundantiae talis expers, quas quippe aequaliter conſueto pariendi tempore ſuos eniti foetus animadvertimus. Tantò verò minus (3) diverſa Uteri conformatio ratione majoris vel minoris capacitatis ſeu amplitudinis vel contrariae arctitudinis in cenſum vocanda eſt, quia extra graviditatis ſtatum talis ſtructurae diverſitas *à priori* difficulter demonſtratur, &, ſi quam maximè determinari poſſet, ad terminum tamen partus ſive praeoccupandum ſive retardandum nihil faceret. Denique (4) peſſimè omnium rationes ſuas ſubduxerunt, qui planè *veneficio* partus humani terminum protrahi & in undecimum, duodecimum vel plures menſes extendi poſſe contenderunt: Id enim nihil profecto aliud, quàm legum atque cauſarum naturalium ſuis in effectibus ſuſpenſionem, i. e. verum miraculum denotaret, quod, cùm citra ingentem impietatem Diabolo tribui nequeat, ſequitur, tantò minus ſagis vel veneficis, per quas *mediatè* miraculoſa talia opera perpetrare vulgò creditur, competere id poſſe.

V.) Sequitur denique, falli *Ammannum* cum *Diemerbroekio* aliisque, qui omnes *partus ulteriores* promiſcuè ad praeternaturales & morboſos retulerunt, & vel *nequitiam* in muliere, vel ſimplicem *in compu-*

tatione errorem accusârunt: Et *nequitiam* quidem; Si nempè mulier, liberis carens, mortuo marito, ut ejus haereditate ac bonis frueretur, cum alio conſueſcat ab eoque gravida fiat, & ſic undecimo, duodecimo, decimo tertio &c. menſe poſt obitum mariti natum infantem defuncto adhuc adſcribat, quae nequitia tàm frequens eſt, ut ubique terrarum per omnes curias judiciales perſtrepat. *Errorem* verò calculi in eo committi poſſe exiſtimant, quod mulieres ingravidationis initium utplurimum à prima menſtruorum emanſione ſupputare conſueverint. Vid. *Diemerbroeckii* Anat. Libr. I. Cap. XXXIV, & *Ammanni* Irenic. p. 78.

SPECIMEN TERTIUM
MEDICINAE FORENSIS

Praefatio.

QUi Medicinam criminantur, quaſi nihil aliud curae cordiq; haberet, quam ſanitatem hominum vel conſervare, vel reſtituere, illi & nimis abjecte de eadem ſentiunt, nimiumq; arctis eandem limitibus circumſcribunt: Latius illa potius ſua extendit pomœria ſuamq; operam JCtis ea utilitate & fructu locat, ut in quam plurimis tam civilibus quam Eccleſiaſticis controverſiis, majori circumſpectione pariter ac juſtitia dirimendis verſari queant, incerti alias & fluctuantes, quid mixtis talibus in caſibus agendum ipſis incumbat, niſi oculos aliunde colluſtratos ad judicandum adferant. Quae omnia quanquam reapſe ita ſeſe habeant: Negandum tamen ſimul non eſt, praejudicatas veterum Medicorum

opiniones eſſe verum illum offenſionis lapidem, *in quem plurimi JCtorum alliſerunt, dum falſas illorum hypotheſes hominum factis inconſiderate adplicando, legibus plane inutilibus condendis animum adjecerunt. Atq; hujus potiſſimum commatis (ut alias hac vice taceam) ſunt leges, quae de* ſuperfœtatis *eorundemq; juribus diſpoſuerunt, quales cum in rerum Natura non dentur, eorundem quoq; effectum ceſſare debere, manifeſtae conſequentiæ res eſt. Cúm vero altiorem interea penſitationem mereatur hoc negotium: Hinc ut ſua nobis gratia adſit ſummum Numen, demiſſiſſime percamur!*

TRANS-SUMPTIO.

Paulus ff. Libr. V. Tit. IV. l. 3. ſi quis filium.

Antiqui libero ventri ita proſpexerunt, ut in tempus naſcendi omnia ei jura integra reſervarent: Sicut apparet in jure hæreditatum. In quibus, qui poſt eum gradum ſunt agnationis, quo eſt id, quod in utero eſt, non admittuntur, dum incertum eſt, an naſci poſſit: Ubi autem eodem gradu ſunt cæteri, quo & venter, tunc quæ portio in ſuſpenſo eſſe debeat, quæſierunt, ideo quia non poterant ſcire, quod naſci poſſunt; ideo, nam multa de hujusmodi re tam varia & incredibilia

credun-

creduntur, ut fabulis adnumerentur. Nam traditum eſt, & quatuor pariter puellos á matre familias natos eſſe: Alioquin tradidere non leves Auctores, quinquies quaternos enixam Peloponniſi, multas Ægypti uno utero ſeptenos. Sed & tergeminos Senatores cinctos vidimus Horatios. Sed & Laelius ſcribit, ſe vidiſſe in Palatio mulierem liberam, *quae ab Alexandria perducta eſt, ut Hadriano oſtenderetur,* cum quinqve liberis, ex quibus quatuor eodem tempore (*inquit*) dicebatur, quintum poſt diem quadrageſimum. *Quid eſt ergo? Prudentiſſime juris auctores medietatem quandam ſecuti ſunt, ut, quod fieri non rarum poteſt, intuerentur, i. e. quia fieri poterat, ut tergemini naſcerentur, quartam partem ſuperſtiti filio aſſignaverint &c.*

Ulpian. ff. Libr. XXIX. Tit. II. l. 30. §. 6.
Suum haeredem &c.

Suum hæredem, certum eſt, ex aſſe hæredem eſſe, etſi putat eſſe prægnantem mulierem, quæ non eſt prægnans. Quid? ſi unum in utero habeat, an ex parte dimidia ſit hæres? ſive inſtitutum poſthumum proponas, ſive inteſtatum patrem deceſſiſſe; Quod & Sextum Pomponium opinatum Tertyllianus libro quæſtionum refert:

 Putaſſe

Putaſſe enim, ſicuti cum vacuo utero ſuus ex aſſe haeres eſt, ita & cum unum gerit, nec per naturam humanae conditionis alium formare poteſt. (quod quidem poſt certum tempus conceptionis eveniet) *ex parte dimidia & ignorantem fore hæredem, non ex quarta, ut Julianus putat.*

EXPOSITIO.

§. 1.

NOn immeritò ſuſpectus nobis eſt conjuratus quaſi Auctorum conſenſus in adſerenda ſuperfœtationis exiſtentia. Non diffiteor, praeter indagandae veritatis ſtudium ipſam quoq; curioſitatem me invitaſſe, ut quam plurimos illorum evolverem atq; conſulerem: Quo in examine deprehendi, *Ariſtotelem* hancce fabulam primum peroràſſe; ex hoc *à Plinio* adoptatam, & ſucceſſivis temporibus à plerisq; Scriptoribus ex *Plinio*, absqve ullo ferè judicio & iisdem plane verbis inconſultè transſcriptam eſſe. Omnibus tamen jam ſeculo decimo quinto audacter contradicere auſus eſt *Johannes Valverda*, Anatomicus Hiſpanus, ejusdemq; partes, quanquam timidiuſculè, tueri quoq; videtur *Paulus Ammannus*, qui nullam mulierculis fidem de *ſuperfœtatione* adhibendam eſſe, diſertè enunciat.

§. 2.

§. 2.

Quicquid verò horum ſit, parum certè movere nos poteſt veterum auctoritas. *Ariſtotelem* enim quod ſpectat, notum eſt, faciles nimis aures praebuiſſe illum narratiunculis muliercularum: Unde ſaepius deceptum fuiſſe eundem, nemini mirum videri debet. *Plinius*, quicquid ea de re Hiſtoriae Naturali inſeruit, ex *Ariſtotele* hauſit. *Hippocrates* autem, ſi liber de *ſuperfœtatione* illius genuinus ſit, omnibus errandi occaſionem ſubminiſtraſſe videtur, dum in principio libri non enunciavit modo, *mulieres ſuperfœtare*, in quibus os uteri, quod ſtomachum dicit, poſt primum conceptum non ita valdè clauditur, ſed & evidentibus idem ſignis conſtare adſeruit. Praeterquam autem, quod libellus de *ſuperfœtatione*, vulgò *Hippocrati* adſcriptus, ab *Erotiano* in recenſione *librorum Hippocraticorum* praetermittatur; Nondum etiam ad liquidum deductum eſt, an ἐπικύημα pro ἀποκύημα, *ſuperfœtatum* pro *concepto* vel contra graeco in textu legendum ſit? Neq; verò quicquam probat *Gorgiae* uxor in *Lariſſa*, cujus in *Epidemicis* meminit *Hippocrates*. Huic mulieri purgationes menſtruae quatuor jam annis ſubſtiterant, uterusq;, quamcunq; in partem ſeſe iuclinaſſet, pulſus atq; gravitatis ſenſum praebebat. Nihilominus concepit fœtum & produxit emiſſaq; eſt in lucem nono menſe puella viva, in coxendice tamen ulcus habens, ſecundarum exitus conſecutus eſt & copioſus admodum ſanguinis fluxus ſucceſſit. Venter interea, excluſo primo fœtu, exiguo quidem momento remolli-

mollitus eſt, planè autem non concidit, ſed durior perſeveravit, verùm citra dolorem. *Quadrageſimo* verò a primo *die*, quod praepoſterè (*ſuperfœtatione*) conceptum fuit, excidit caro quaedam (σαρξ) & venter procidit tumoresq; omnes fluxusq; tenuis & ſanguis olens prodiit ac convaluit. At verò obſervandum hîc eſt, non dici, fœtum fuiſſe vitalem, qui excluſus eſt, ſed carneam tantùm molem, vitae ſine dubio expertem, quam rectius molam vel ſanguinem indigeſta mole concretum dixeris. Deinde verò, etiamſi vitalem fuiſſe omni modo concederetur, adparet tamen ex hiſtoriae hujus circumſtantiis, *Mulierem* iſtam *Lariſſaeam* primis diebus febrim detenuiſſe; Faciem, tibias, pedes ambos & femur alterum vehementer tumuiſſe, cibos averſatam & ſiti vehementer excruciatam fuiſſe: Quae ſymptomata cuncta fœtum, utut vitalem, impedire potuerunt, imò actu impediverunt, quò minus una cum priori fœtu nono menſe, ordinario & maximè naturali pariendi termino, exitum tentaret.

§. 3.

Prius autem, quàm reliqua, quae allegantur, *ſuperfœtationum* exempla ad rigidius examen revocemus, ex iis, quos evolvimus, Auctoribus adnotare brevibus placet, quid de *ſuperfœtationis* exiſtentia & indole ipſimet ſentiant. Pleriq; igitur in eo conſentiunt:

1.) Superfœtationem eſſe rem usq; adeo raram imò rariſſimam, ut inter millies millenas impraegnationes vix ſemel atq; iterum contingere ſoleat.

2.) Nullam fœmellam brutam *ſuperfœtare*, Sola muliere excepta.

3.) *Superfœtationem* non modò aegerrimè *per ſe* agnoſci, ſed & *ſuperfœtatum* à *gemellis* haud facilè diſcerni.

4.) *Superfœtationem* fieri vix poſſe, niſi tribus vel quatuor diebus poſt priorem conceptionem; Quod tamen adſertum qua ratione cum eo conciliandum ſit, quod integris *quadraginta diebus* vel *duobus* demum *menſibus ſuperfœtatum* poſt primum legitimum conceptum excludi poſſit, vix adparet.

5.) *Superfœtationem* non niſi à primo conceptionis legitimae die ad trigeſimum usq; contingere; Tranſacto illo tempore autem prorſus impoſſibilem eſſe; Quia, cùm uterus paulatim indies repleretur, ſemen recens vix admittere, nedum admiſſum retinere valeret. Ut taceam

6.) Ipſas quoq; leges ſuperfœtationem talem, quadraginta diebus poſt primam conceptionem factam inter portenta & miracula Naturae referre.

§. 4.

Quae omnia ſi debita ἀκρίβεια ad examen revocentur, talia nobis ſubminiſtrabunt praeſuppoſita, ex quibus doctrinae vulgaris de *ſuperfœtatione* falſitas liquidò agnoſci poterit. Sunt autem ſequentia:

Primum eſt: Quicunq; effectus tàm rarus eſt atq; infrequens, ut inter millies millenas mulieres vix uni atq; alteri contingat, ille ad *non Ens* vel proximè accedit, vel prorſus *non Enti* adnumerari meretur. Atqui hoc modo cum *ſuperfœtatione* comparatum eſt: Nam ſi *ſuperfœtatio* naturaliter contingere *poſſet*, meritò mirum videri deberet, cur *actu* non contingeret? Cùm certum ſit, pleraſq; Juvenculas (utut non ex abſoluta neceſſitate) primis ſtatim ex congreſſibus

marita-

maritalibus gravidas reddi, quae tamen cùm toto reliquo graviditatis tempore à qualicunq; venereo commercio non abſtineant, in millies millenis tamen, ſicuti Ipſimet *ſuperfœtationis* adſertores teſtantur, nullus ejus effectus ſubſequatur, manifeſtum eſt, in meras tandem fabulas vel fallacias reſolvi, quicquid de *ſuperfœtatione* vulgò enarratur.

Secundum eſt: Quicunq; effectus usq; adeò rarus eſt & infrequens, ut non tantun nulli brutorum fœminae *nunquam*, ſed & inter millies millenas mulieres *aliquando* tantum contingat, ille tamdiu chymaericus manet, donec ſolida diverſitatis ratio hoc in paſſu inter fœmellas brutorum & hominum allegetur. Si dicatur, fœminas brutorum certo tantum tempore œſtrum venereum pati, quo deferveſcente & impraegnatione ſeqvuta nullos amplius maſculos admittant; Quorum tamen omnium contrarium obſervetur in fœmellis humanis: Tunc regero 1.) Pleraq; animalia bruta certo quidem anni tempore venerem exercere, impetum tamen ipſum ſic ſatis diu continuare: Qua temporis intercapedine cum pluribus maſculis conjunguntur, & nulla tamen conſequitur *ſuperfœtatio*. Cur ergò ſolae fœminae humanae *indiſcriminatim*, nullo temporis reſpectu habito, venerem exercentes, illam paterentur? Regero 2.) Pleraq; animantia bruta eſſe ordinarie πολυτοκα, mulieres verò utplurimum uniparas: Aut ergò brutorum fœminae plures fœtus *uno* eodemq; *coitu* concipient, aut *diverſis*. Si *prius*, nulla adparet ratio, cur non etiam fœmellae humanae uno congreſſu gemellos, trigeminos, quadrigeminos &c. & concipiant & pariant? Si verò

verò poſterius, aeqve patientur *ſuperfœtationem* brutae ac humanae fœmellae, id quod tamen *ſuperfœtationis* adſertores conſtanter hucusq; negarunt.

Tertium eſt: *Si ſuperfœtationis* indicia usq; adeò incerta atq; obſcura ſint, ut non modo *per ſe* difficulter agnoſci, ſed difficilius adhuc à *gemellorum* ſtatu dignoſci queat: Sequitur, meram tantum fallaciam committi, ſi, quod reapſe ſunt, gemelli, trigemini vel quadrigemini, diverſis licet partubus excluſi, pro *ſuperfœtatis* habeantur. Neq; ſufficit dicere, gemellos & ejusdem plerumq; magnitudinis eſſe & communi frui ſecundina, & nulla quoq; alia ratione à ſe mutuo ſeparari, niſi beneficio propriae membranae, utrumq; una cum aqua concludentis; Quae quippe omnia multiplici experientiae contraria ſunt. Quanquam enim ſubinde unica tantum ſecundina fruantur gemelli; Id tamen ordinarium non eſt. Quotquot mihi gemellos videre licuit, omnes duplici ſecundina inſtructos & propriis amiculis concluſos obſervavi, & pauci tantum dies elapſi ſunt, quo idem in muliere ſuburbana, ſartoris cujusdam uxore, videre denuo contigit, quicquid etiam in contrarium anicula obſtetrix adſtantibus, me abſente, perſuadere conata eſſet. Sic etiam teſtatur Dn. *Mauriceau*, in arte obſtetricia, ſi quis ullus alius, expertiſſimus, ſe aliquando adfuiſſe partui mulieris, ex cujus utero, legitimo pariendi tempore, puellam craſſam viventem, & pedibus quidem, ob depravatum ejus ſitum eduxiſſet: Eidem vero in extrahenda ſecundina occupato occurriſſe ſimulq; eductum fuiſſe alterum fœ-

F tum

tum marem mortuum, dicta filia duplo minorem; ut magnitudinis ſuae ratione partus quadrimeſtris vel quinquemeſtris, atq; adeò verè *ſuperfœtatus* haberi potuiſſet; Qui tamen adſerere non dubitat, utrumq; fœtum, diſparis licet magnitudinis, unius tamen concubitus progeniem fuiſſe, cùm unica utrique communi tunica involveretur.

Quartum eſt: Incertum *ſuperfœtandi* tempus incertum quoq; & implicatum reddere totum negotium. Finge enim, quod nonnullis placuit, *ſuperfœtationem* fieri non poſſe, niſi primis quatuor vel quinqve diebus poſt primam conceptionem; Quae quaeſò neceſſitas cogit, *ſuperfœtatum* potius quàm *gemellos*, diverſis potius quàm unico ac ſimplici congreſſu genitos, uno licet eodemq; tempore & aequa organorum perfectione excluſos, agnoſcere. Si verò, quod alii ſenſerunt, etiam trigeſimo vel quadrageſimo die vel planè bimeſtri ſpatio poſt primam conceptionem *ſuperfœtatum* gigni poteſt; Unde quaeſò eſt, quod gravidae conſuetis novae conceptionis incommodis ac ſymptomatibus non denuò, ut prius, conflictentur? Sed non pluribus opus eſt argumentis, cùm ipſimet *ſuperfœtationis* propugnatores non diffiteantur, impoſſibilem eſſe, quae ultra trigeſimum diem extenderetur, ſuperfœtationem.

Quintum eſt: Omnem fœminam ex intimo, quo perfunditur ſenſu, non modò gravidam ſeſe factam ſcire, ſed & indies uterum in ſeſe contrahi & unà cum orificio interno in arctius cogi, animadvertere poſſe. Cujus ſuppoſiti veritas jam dudum

dum *Hippocrati* perſpecta fuit, dum Aphoriſmorum Libro V. 51. pronunciat: *Quæ utero gerunt, iis os uteri connivet:* Idemq; agnovit *Galenus*, dum Libro XIV. de uſu partium C. 3. inquit: *Matricum collum in pudendum muliebre deſinit, quod, cùm animal concepit, clauditur ad unguem, adeò ut ne minimum quidem aut intus forâs laxet, aut foris intro recipiat.* An autem, quod idem *Galenus* mox ſubjicit, in coitu eousq; pateat ac tendatur, ut ſemen per latam viam progrediens facilè in matricum ſinum perveniat, alio loco commodius disquiretur.

Ultimum eſt: Plures fœtus, uno vel diverſis partubus excluſos, uno tantum fœcundo, non diverſo vel ſucceſſivo coitu genitos eſſe: Quatenus nempe vel plura diverſa ovula ſimul impraegnantur, vel plures fœtus unico ovulo concluſi latent, qui deinde pro maturitatis ſuae ratione vel ſimul ad perfectionem perveniunt & ſic uno partu ſimul excluduntur, vel tardius, quo caſu tardius etiam publicam in lucem prodibunt.

§. 5.

Quod ſi verò nunc ad horum Praeſuppoſitorum cynoſuram exigantur *ſuperfoetationum* exempla, ab Auctoribus hactenus adlata, nullo non negotio adparebit, pleraq; vel fabuloſa eſſe vel manifeſta niti fallacia, *ſuperfoetatum* nempè credendo, quod duplex vel triplex partus rectius haberi merebatur. Et ne in examinandis antiquis exemplis, quae ex *Ariſtotele* & *Plinio* tranſcripta ſunt, multum commoremur, oculos potius mentis conjiciemus in recentiores

quaſdam obſervationes, viſuri, quodnam inde patrocinium pro defendenda *ſuperfoetationis* poſſibilitate, quin vera & reali ejusdem exiſtentia depromere poſſint pertinaces ejusdem defenſores. In Ephemeridibus N. C. Dec. II. Anno VII. Obſ. CLXV. à DD. *Gabriele Claudero* ſiſtitur hiſtoria fœminae juvenculae ſimulq; vegetae, quae, cùm hortulum ſuum muliebrem fœcundo maſculini ſeminis imbre irrigari paſſa eſſet, ſolemni, conſueto ac naturali tempore, feliciq; Lucinae omine parit filiolum ſanum ac vegetum, ſecundinis quidem cum conſueta lochiorum manatione rectè ſuccedentibus, remanente tamen inſigni abdominis tumore cum ſenſibili motu doloreq; alternante, quanquam interea lochia ſatis rectè fluxum ſuum continuaverint. Aſt quid fit? Septimo demum à priore partu die alius egreditur puellus cum ſua ſecundina, lochiisq; reſiduis pariter ac novis penſum ſuum legitimè abſolventibus. En igitur intercapedinem ſeptem dierum, inter priorem & poſteriorem partum interjectam, unde quis novam conceptionem, priori denuò inductam & ſic veram *ſuperfoetationem* haud difficulter conjiciet! Verum enimverò nemo inde, opinor, *ſuperfoetationem* evincet. Namq; (ſecundum ſuppoſ. ult. hujus Specim.) gemelli fuere, unico quidem ac ſimplici fœcundo coitu concepti, ſed inaequali tempore ad perfectionem deducti, id quod (per Supp. IV. Specim. II.) *fieri* ſubinde non modò *poſſe*, ſed & *fieri ſolere*, jam aliâs ſatis à nobis oſtenſum eſt.

§. 6.

§. 6.

Majorem equidem difficultatem parere videntur tria alia *ſuperfoetationum* exempla, à *Borrichio* Volum. V. Actorum Haffnienſium adducta, ac denuò à Boneto Volum. II. Medic. Septentrion. Collatit. allegata, quae tamen ad lapidem lydium noſtrorum Suppoſitorum debitè examinata, omnem probandi efficaciam mox amittent. Quanquam enim duo circiter menſes inter primam ſecundamve conceptionem interceſſiſſe *Borrichio* videantur: Novimus tamen (ex Supp. III. Specim. II.) Naturam ſui juris eſſe, nec ad leges humanas componi aut ſemper ex formula reſpondere, ſed modo properare modò vota praecurrere; Atq; adeò (juxta ſuppoſ. ult. & §. 9. Spec. I.) menſe quoq; ſeptimo vitales prodire poſſe fœtus. Ut taceam, nullam ab Auctore dictarum Obſervationum mentionem fieri, an pluribus, an ſimplici tantum ſecundina fuerint inſtructi fœtus?

§. 7.

In tertio verò exemplo *Borrichiano* nulla planè difficultas latet. Licet enim (per Suppoſ. III. Spec. III.) alter altero propemodum dimidio minor fuerit, illeq; mortuus, hic vivus ſeptimo menſe prodierit: Certiſſimum tamen eſt, ob alterationem matris, triſti nuncio perterrefactae, utrumq; intempeſtivè excluſum eſſe, alterum quidem mortuum, alterum verò vivum, quanquam languidum & cadaveroſum; Unde etiam unica poſt hora exſpiravit.

§. 8.

Quid ſi verò alter fœtuum *hero*, alter *ſervo* ſimilis fuerit? Qualem hiſtoriam de ancilla quadam, quae uno eodemq; die cum duobis viris rem habuiſſe dicitur, enarrat *Plinius*. Vel, ſi alter *mariti*, alter *adulteri* imaginem retulerit? Id quod pariter *Plinii* fide conſtat. Reſpondemus: Mirabilem eſſe imaginationis maternae efficaciam; Neq; enim ideò filius tuus eſt, quia imaginem tuam praeſentat; Sed hoc omne vividae matris phantaſiae in acceptis referendum eſt.

§. 9.

Accedit, aquarum ſubinde hydropicarum in abdomine collectionem vel flatulentam ventris expanſionem mentiri falſam *ſuperfoetationem*, quale exemplum ſua in praxi adnotavit *Ammannus*, quod in *Theophili Boneti* Medicina Septentrionali Collatitia Tomo II. Obſ. XXIII. relatum legitur de muliere ruſtica, quae, poſteaquam filiam peperiſſet, in eodem iſto puerperio, ſine dubio ob minus proſperum ſucceſſum vel totalem ſuppreſſionem fluxus lochialis hydropica reddita fuit: Unde elapſo trimeſtri ſpatio abdomen hujus paganae in faſtigiatum tumorem, non ſecus ac in vera impraegnatione fieri conſuevit, elevatum eſt, quo conſpecto & abdomine leviter compreſſo obſtetrix, obſcuro aquarum hydropicarum motu decepta exclamavit: Reſtitare ad huc dum fœtum in utero, *ſuperfoetatione* conceptum, muliere interim ad plures emigrante, dum novum adornare puerperium cogitabat. Diſſecto deinde corpore defunctae, poſt primam ſtatim inciſionem tam fœda aquarum colluvies proſiliit, ut adſtantes abire coacti fuerint:

fuerint: Quo ipſo omnis fictae *ſuperfoetationis* opinio ſimul ac ſemel evanuit.

§. 10.

Nos intereà ex hiſce omnibus inferimus: *Superfœtationem* eo, quo vocabulum ſumi ſolet, ſenſu, quo nempè novam denotat mulieris jam gravidae conceptionem, qua graviditatis ſuae tempore ex iterato coitu denuo impraegnatur & concipit, natura impoſſibilem eſſe: Quia (per Supp. I.) non modò ea, quae inter mulieres tàm rara atq; infrequentia ſunt, ut non niſi inter millies millenas uni contingant, chymaeris & non entibus quàm proximè accedunt; Sed &, quia (juxta Supp. III.) nullis certis indiciis ſeſe prodit, imo & (ſecundum Supp. V.) uterus fœminarum, inprimis verò orificium ejus internum, facta conceptione, tàm arctè connivet, ut ne apicem quidem aciculae amplius admittat: Unde (juxta Supp. ult.) veritati omni modo conſentaneum nobis videtur: Plures fœtus, uno vel diſtinctis partubus excluſos, non ſucceſſivo ſed uno fœcundo congreſſu genitos eſſe, atq; adeò nullàm dari *ſuperfoetationem*; Id Q. E. D.

§. 11.

Unde ſequentia adhuc Conſectaria fluunt:

I.) Rei non exiſtentis nullos quoq; Juris effectus eſſe; Et rurſum: Non entis nullas eſſe affectiones: Unde denuò conſequitur: Fruſtra omninò de *ſuperfoetatis* Jura diſpoſuiſſe.

II.) Supervacaneum eſſe, ut multum ſeſe fatigent Canoniſtae in enodanda quaeſtione conſcientiae:

An

An mulier conjugata, poſtquam ſeſe gravidam eſſe ſentit, conſcientiae ſuae vim inferat, ſi nihil ominus cum Marito ſuo venerem exerceat? Quod profecto, niſi aliis de cauſis illicitum eſſe judicetur, ſaltem ob *ſuperfoetationis* metum fruſtra prohiberetur.

III.) Portentoſas veterum enarrationes de *ſuperfoetatione* multis quoq; recentiorum glaucoma induxiſſe, & inter multos alios bonum quoq; *Sennertum* ſeduxiſſe, ut non modò ipſius *ſuperfoetationis* exiſtentiam agnoſceret, ſed & cauſas ejus, differentias, ſigna tàm diagnoſtica quàm prognoſtica ipſamqve planè medendi methodum cum therapia tradiderit. Quod ipſum nihil reâpſe aliud eſt, quàm ſi quis regionem *Slaraſſorum*, quae nunquam in rerum natura fuit, ſecundum principaliores urbes, vicos, pagos, ſylvas, flumina, montes, imò incolas planè deſcribere vellet.

IV.) Phantaſiam matris mirifica pollere energia in fœtum, quem geſtat, teſtibus naevis, qui tenello embryonis corpori ſubinde imprimuntur; Qua de re Thomas Fienus integrum conſcripſit tractatum.

SPECIMEN QVARTUM MEDICINAE FORENSIS.

Praefatio.

COnqueſti jam fuimus alibi, ea hodie in tempora nos incidiſſe, quibus, quod rarum, novum, inauditum & curioſum non eſt, vel nullo numero habetur vel alto plane ſupercilio contemnitur; Pleriſque ea, qua decebat, accuratione minus perpendentibus, an res illae novae, rarae atque curioſae ſint etiam neceſſariae vel ſaltem utiles? Me quod attinet, ingenue confiteor, ejus generis novitates, noſtros inter homines hodieq; uſitatas, quae nempe vel in ſubtilibus ſpeculationibus excogitandis vel novarum opinionum portentis in orbem protrudendis conſiſtunt, nunquam temere me adſectasſe: Alioquin polliceri [citra vanam tamen jactantiam] auſus fuisſem, aeq; fertile, aeq; habile ac foecundum ingenium, ad res tales novas meditandum, adlaturum me fuiſſe, atq; quemcunque alium. Verum nunquam

tanti mihi viſum fuit, minutias tales ſtudioſius conſectari, quas quippe vix unquam majori in pretio habui, quam luſum puerulorum, globulis lapideis, vario artificio a Natura in ſuperficie exornatis, in platea publica tempus inutiliter terentium. At vero ſi cui eas animi dotes Alma Mater indulſiſſet, ut novitates, ad uſum vitae ſpectantes, in apricum deducere poſſet, abunde haberet, unde ſibi ipſi gratularetur. Ita v. g. ſi quis in ea ſignorum incertitudine, qua in hunc usq; diem Jurisperiti citra contradictionem laborant, ad gravisſimum Infanticidii *crimen, alicui foeminae imputatum, comprobandum, certiora omniq; exceptione majora indicia in medium proferre poſſet, quibus vel inſontes abſolvere vel legitime accuſatas citra omnem erroris ſuſpicionem condemnare liceret, ſperarem ego, talem excogitatam eſſe novitatem, cui vel mille novae Doctorum opiniones vel fabuloſae quorundam ſpeculationes, ipſi plane auditui ſubinde graves, quantacunque alias curioſitate ſeſe commendare viderentur, aequiparari nulla ratione poſſent. Tentabimus nos, quid arduo hoc in negotio humeri noſtri valeant, quid ferre recuſent? Ardentisſime eum in finem DEum,*

veri-

veritatis omnis Auctorem implorantes, ut nos in omnem veritatem deducere clementiſſime dignetur!

Art. XXXV. Conſt. Crimin. Carol. V.

Von heimlichen Kindhaben und tödten / durch ihre Mutter gnugſame Anzeigung.

So man eine Dirne / ſo für eine Jungfrau gehet / im Argwohn hat / daß Sie heimlich ein Kind gehabt / und ertödtet habe / ſoll man ſonderlich erkunden / ob Sie mit einem großen ungewöhnlichen Leib geſehen worden ſey. Mehr / ob Ihr der Leib kleiner worden / und darnach bleich und ſchwach geweſt ſey. So ſolches und dergleichen erfunden wird / wo dann dieſelbe Dirne eine Perſon iſt / darzu man ſich der verdachten That verſehen mag / ſoll die durch verſtändige Frauen an heimlichen Stätten / als zu weiterer Erfahrung dienſtlich iſt / beſichtiget werden / würde Sie dann daſelbſt auch argwöhnig erfunden / uud will der That dennoch nicht bekennen / mag man Sie peinlich fragen.

Art. XXXVI. Ejusdem Conſtitut.

Eine andere Anzeigung begangener Kinder-Mord.

Wo aber das Kindlein / ſo kürtzlich ertödtet worden iſt / daß der Mutter / die Milch in den Brüſten / noch nicht vergangen / die mag an ihren Brüſten gemolcken werden / welcher dann in den Brüſten rechte vollkommene Milch erfunden wird / die hat deßhalb eine ſtarcke Vermuthung peinlicher Frage halben wieder ſich. Nachdem aber etliche Leib-Aertzte ſagen / daß aus etlichen natürlichen Urſachen etwan eine / die kein Kind getragen / Milch

Milch in den Brüſten haben möge/ darum/ ſo ſich eine Dirne in dieſen Fällen alſo entſchuldiget/ſoll deßhalben durch die Heb-Ammen oder ſonſten/weitere Erfahrung geſchehen.

EXPOSITIO.

§. 1.

HUmillime veneror Majeſtatem Imperatoriam; Submisſisſima devotione proſequor glorioſisſimum Caeſarem, *Conſtitutionum* harum *Criminalium* Auctorem; At vero fateri cogit veritas, pleraque hiſce in articulis propoſita *infanticidii* indicia dubia, incerta & inſufficientia eſſe, ac proinde, niſi certiora alia ad crimen *infanticidii* comprobandum adferantur, puellam talem, quae partus clam occiſi ſuſpecta agitur, tormentis ſubjici non poſſe.

§. 2.

Proinde abſoluta efflagitat necesſitas, ut Judici, in gravisſimum tale crimen inquirenti, de corpore delicti ante omnia conſtet; Id quod tamen factu impoſſibile eſt, niſi haec duo rerum momenta idoneis argumentis demonſtrentur, quorum *primum* eſt: *Foeminam infanticidii accuſatam reapſe gravidam fuiſſe. Alterum: Infantem quoque ab ea excluſum tam* vivum *quam* vitalem *editum & ab illa interfectum eſſe.* Utrumque ſicuti indagatu perquam difficile eſſe, ultro concedo: Ita tanto majorem operam impendendam eſſe, ut Judici innoteſcat, inevitabilis pariter expoſtulat neceſſitas.

§. 3.

Ad demonſtrandum itaque primum harum rerum momentum, convincendam nempe mulierem, quod, quae adhucdum virgo haberi cupit, reapſe gravi-

da

da fuerit, pro more noſtro paucula denuo praeſuppponemus, ex quibus, tam quid de ſignis praegnantiae ab Imperatore hic adductis, quam aliis etiam indiciis, quae hinc inde à Doctoribus commemorantur, ſentiendum ſit, haud obſcure diſpaleſcet. Sunt autem ſequentia:

Primum eſt: Pleraque quidem, quae allegari hactenus conſueverunt, graviditatis ſigna, ſeorſim inprimis conſiderata, meris partim conjecturis niti, partim vero dubia, incerta & aequivoca eſſe; Non tamen *indiſcriminatim* omnia.

Secundum eſt: Dari ê contra ſigna praegnantiae certa, infallibilia, indubitata omnique exceptione majora, quae proinde *pathognomonica* jure adpellari poſſunt. Quanquam enim graviditas mulierum non ſit ſtatus praeternaturalis, ſed tantum extraordinarius: Attamen, uti praeter communia morbi ſpecialia ſua & quaſi *pathognomonica* ſigna habent, quibus manifeſtantur & ab aliis perite diſcernuntur: Ita quoque praegnantia praeter communia ſuis quoque ſignis *pathognomonicis* gaudet, quibus innoteſcit.

Tertium eſt: Signa iſta *pathognomonica* conſiſtere partim in ſubtili & exquiſito ſenſu horridulo corpus percurſante, quem poſt congreſſum maritalem & factam inde conceptionem experiuntur ſuo in corpore mulierculae, partim in ſingulari alteratione, ſenſum iſtum inſequente; Quo modo adfectae Mulierculae uterum ſucceſſive in ſeſe contrahi animadvertunt, tantoque fervore non ſolum in venerem non amplius feruntur, ſed contrario potius faſtidio laborant, cum torpore animi aeque ac corporis inſolito, adpetitu ciborum non tam imminuto

minuto quam eorundem potius nauſea, quae in nonnullis ad vomitum usque adſurgit: Quae omnia tamen primis conceptionis temporibus contingere magis conſuevere.

Quartum eſt: Tanto certiora eſſe impraegnationis indicia, tantoque efficacius concludere, quo plura illorum concurrunt, junctis inprimis, praeter communia, ſignis quoque *pathognomonicis.*

Quintum eſt: Illa ſigna, quae pluribus aliis conſtitutionibus & adfectibus communia ſunt, adaequata impraegnationis indicia eſſe non poſſe.

Sextum eſt: Quaecunque ſigna neque ſemper neque in omnibus adſunt, atque adeo cum graviditate nullum neceſſarium nexum fovent, illa tanquam incerta vel meris tantum conjecturis ſubnixa, attendi non merentur.

Septimum eſt: Praegnantiam mulierum difficilius ab aliis, facilius ab illismet ipſis cognoſci. Quaevis enim foemina (per Suppoſ. VII. Spec. I.) tempus impraegnationis ſcire poteſt, dummodo ad ea, quae in corpore ſuo fiunt, curioſius & exquiſitius attendat.

Poſtremum eſt: Praegnantiam mulierum difficilius primis, quam mediis vel ultimis geſtationis menſibus, omnium vero difficillime *praeteritam* ab aliis explorari. Quocunque vero tempore inveſtigetur, non omnino indagatu impoſſibilem eſſe, quanquam non levis in difficili negotio requiratur circumſpectio.

§. 4.

Ad hancce igitur normam & fundamentales quaſi regulas ſi exigantur indicia ab Imperatore noſtro adlata, facile adparebit, ea omnia ſeorſim inprimis conſiderata (per Suppoſ. I.) incerta, dubia atque fallacia

eſſe.

eſſe. Nam quod *primum* attinet *intumeſcentiam* ac *detumeſcentiam* abdominis, ſi nempe puella quaedam, quae antea ventre praeter ſolitum naturae ordinem tumefacto conſpecta fuerat, nunc eodem admodum contracto obſervetur, illa, cum (per Suppoſ. V.) & hydropico-aſciticis & tympaniticis & diuturna menſtruorum ſuppresſione laborantibus communis ſit, & aliis quoque de cauſis, facta ſcilicet humorum hucusque retentorum evacuatione, remittere ſoleat: Hinc *adaequatum* impraegnationis factae ſignum eſſe nequit. Accedit, indicium hoc hodierno puellarum habitu (durch die weiten Reiff-Röcke) eludi & occultari facile poſſe: Unde certe, ſi nulla alia ſubeſſet ratio, ridiculum iſtum, hodiernis tamen moribus ſolemnem ſexus ſequioris habitum publica auctoritate prohibendi, id unicum ſufficere poſſet: Quia alias omnium oculis exponeretur, quod fallaci iſto artificio occultari facile poteſt. Adde, quod nonnullae etiam beneficio thoracis aliorumque amiculorum tam arcte corpus conſtringere ſciant, ut intumeſcentia illa parum vel nihil prodeat in conſpectum.

§. 5.

Eadem propemodum ratione comparatum eſt cum altero, ab Imperatore noſtro allegato indicio, faciei nempe pallore, ſi, quae floridum hactenus, vivacem atque purpureo cruore ſuffuſum exhibuit faciei adſpectum, nunc pallido & abjecto colore defoedata conſpiciatur. Aſt cum (per Supp. V. & VI.) hoc phaenomenon pluribus aliis quoque adfectibus, v. g. cachexia, leucophlegmacia, ſuppresſione menſtruorum, leucorrhoea &c. laborantibus complicetur,

praete-

praetereaque nec ſemper adſit, nec cum graviditâte ullum neceſſarium habeat nexum: Sequitur iterum, valde dubium atque incertum eſſe idem hoc indicium.

§. 6.

Eadem incertitudinis nota laborat etiam *tertium* ab Imperatore adductum indicium, lactis nempe, non tenuioris, aquoſi vel ſeroſioris, ſed perfecti debitaque conſiſtentia gaudentis praeſentia in mammis, inprimis ſi tanta in copia collectum illud fuerit, ut ab obſtetricibus emulgeri queat. Praeterquam autem, quod Imperator ipſe non multum momenti in eodem reponat, dum ad obſervationes quorundam medicorum, ſimile quid ex alia cauſa fieri poſſe docentium, provocat: Occurrunt alia adhuc argumenta, quae vim & efficaciam probandi hujus indicii penitus infringunt atque enervant. Nam (1) mulieribus quandoque in mammis lac generatur, quae nec gravidae ſunt, nec peperere, ſed quibus ſimpliciter menſtrua tantum ſubſtitere, docente ſic *Hippocrate* Aphor. Sect. V. 39. Deinde (2) lac in mammis puellarum incorruptarum artificialiter excitari poteſt, nempe frictione, contrectatione & ſuctione frequenti; de cujus rei ſuccesſu eximiam plane obſervationem adnotavit D. *Franciſcus Bouchardus* Miſcell. N. C. Dec I. Ann. 3. Obſ. X. de vidua quadam ruſticana prope ſexagenaria, quae ſolo charitatis motu bimeſtris infantuli repertitii (eines Findel-Kindes) nutricationem aggreſſa ſuas, quanquam flaccidas, ſicuti ea aetate ſolent, mammillas primis diebus ita accommodaverat, ut lacte paulo poſt frequenti & avidi ſuctus occaſione excitato, ſeptem hebdomadas dictum infan-

tem

tem aluerit, & pluribus ſine dubio menſibus aluiſſet, niſi alienus caſus alumnum ſubmovisſet. Eodem (3) artificio lac ſubinde etiam in mammis virorum imo brutorum quorundam maſculis gignitur, quorum prius in obſervationibus *Schenckii*, poſterius vero in *Schotti* Phyſica curioſa de capro haedos lactante legi poteſt. Imo (4) in ipſis quoque puerorum atque Juvenum mammillis lac repertum eſſe, teſtis eſt Obſervatio Eph. N. C. Dec. 1. Ann. II. Obſ. CXXXV. de Studioſo Medicinae viginti duorum annorum, cui fere per anni ſpatium e ſiniſtrae mammillae papilla lacteus liquor quotidie exſtillavit, ubi ſimul non pauca lactantium virginum, citra omnem tamen virginitatis laeſae ſuſpicionem, exempla leguntur, & plura adhuc apud *Foreſtum*, *Borellum* alioſque curioſos Obſervatores Medicos, quorum ingentem numerum apud *Zacchiam* accumulatum eſſe videmus, legi poſſunt. At vero cum haec omnia non ſint *nova*, ſed ab aliis jam dudum animadverſa; Hinc curioſo nimis Lectori prolixa eorum repetitione taedium non creabimus; ſed paucis tantum verbis repetemus, quid *Facultas Medica Haffnienſis* jam olim hoc de ſigno ſenſerit, dum inquit: *Quandoquidem experientia demonſtret, & multis variorum exemplis oſtenſum ſit, quod non in pueris tantum utriusque ſexus in mammillis poſſit lac album obſervari, ſed etiam in puellis, de quibus nulla dubitatio fuit, imo etiam in viris tam abundans, ut infantes eo lacte potuerint nutrire, & faciem eorum conſpergere, qui aſſidebant; Praeterea &* Hippocrates *& alii medici antiqui ſatis probarint & explicarint, quomodo id fieri poſſit: Non poſſumus nos perſpicere, qua ratione poſſit hoc ſignum pro indubitato cenſeri, quod foemina vel praegnans ſit vel pepererit.*

§. 7.

Cum vero in cunctis hisce indiciis ipſemet Imperator non ſatis fiduciae reponere videatur, jubet (4) ut ſuſpecta ejusmodi puella a peritis Mulieribus, quales credit eſſe obſtetrices, occultis in locis corporis inſpiciatur, quae de defloratione ſeu amiſſione virginitatis vel partu praecedente ſuum perhibeāt teſtimoniū. Aſt cum haec ipſa ocularis corporis inſpectio, ab Obſtetricibus peragenda, pluribus adhuc dubiis totum negotium involvat, idque longe implicatius & intricatius reddat, neſcientibus utplurimum hiſce aniculis, quid inſpicere debeant, imo potius abſurda multa de dehiſcentia oſſium pubis (Mutter-Schloß) de ſigno muliebri (Weibes-Zeichen) aliisque portentis nullibi obſervandis garriant, Judicemque harum rerum imperitum tanto magis confundant: Hinc merito dubitamus, an corporalis illa inſpectio ad corpus delicti detegendum multum collatura ſit? Interea tamen, cum multum Reipublicae interſit, ut ſciatur, quomodo comparatam eſſe deceat ejusmodi inſpectionem, a quibus peragenda ſit, & quid proprie obſervari poſſit vel debeat; Hinc peculiarem eidem diſquiſitionem proxime deſtinabimus.

§. 8.

Quid autem de menſtruorum emanſione judicabimus, a qua plerumq; honeſtae etiam mulieres ingravidationis ſuae initia ſupputare conſueverunt? An aeque ac reliqua ſuperius enarrata indicia, fallax, dubium atque incertum erit? Sic videtur: Neminem namque latet, non tantum plurimas honeſtas omnique ſuſpicione carentes virgines multis continuis menſibus imo integris annis menſtruorum ſuppreſſione

one citra opprobrium laborare, ſed & haud paucas mulieres gravidas in tertium quandoque vel quartum menſem imo ſubinde dimidiū geſtationis tempus menſtrua ſua pati, ſicuti adhuc paucas ante ſeptimanas mulier quaedā juvencula, militis uxor mihi occurrit, quae, licet ſeptimū jam utero geſſisſet, ſemper tamen menſium ſuorum ſuccesſum in ſextum usque menſem conſtanter retinuit. Quid dicam de mulieribus, menſtrua in tota ſua vita nunquam expertis, quae tamen, teſtibus obſervatoribus, feliciter nihilominus pepererunt?

§. 9.

Supereſt motus in abdomine, quem circa dimidiū geſtationis tempus percipiunt mulieres, & quem tanquam infallibile graviditatis indicium inter ſeſe mutuo admittere ſolent, non conſiderantes, innumeris quoque mulieribus, flatulentia vel ſuppresſione menſium laborantibus hoc ſignum impoſuiſſe. Quod, licet ſexcentis aliis obſervationibus confirmari facile poſſet, placet tamen hac vice *Ammanni* hiſtoriam tantum allegare de muliere ruſtica, quae, cum filium peperiſſet, integro trimeſtri ſpatio poſt partum obſervavit abdomen in faſtigiatum tumorem eo plane modo attolli, ſicuti in graviditate fieri ſolet, quae cum tandem vi morbi mortua & abdomen ſectum eſſet, poſt primam ſtatim inciſionem foetida humorum colluvies exiliit, quae tamen, quamdiu vixit mulier, aliquoties fictam ingravidationem mentita, haud ſimplici vice illi impoſuit, quanquam toto illo tempore non obſcuros in abdomine motus percepiſſet.

§. 10.

Neq; porro vomitus cruentus, haemoptyſis vel haemorrhagia narium inſolita ſufficiens impraegnati-

onis indicium praebent; Etiamſi enim non ſimus neſcii, graviores tales haemorrhagias in ſuperioribus corporis regionibus induci ſubinde gravidis a quocunque ſanguinis orgasmo, in inferioribus concitato, ejusdemque regurgitatione. Abunde tamen notum eſt, easdem non infrequentes quoque eſſe puellis menſtruorum ſuppreſſione adfectis. Id quod ipſe quoq; *Hippocrates* Sect. V. Aph. 32. & 33. jam dudũ obſervavit.

§. 11.

Longe majori incertitudine ac vanitate laborant ſigna praegnantiae, quae ex ephelidibus ſeu maculis faciei, ex ſanguine per Venaeſectionem vel ſcarificationem emiſſo imo plane ex Urina nonnulli petere conſuevêre. Quanquam autem plerosque de maculis faciei & ſanguine id facile conceſſuros eſſe, vix diffidam: Docet tamen quotidiana praxis, non ignobilem ſolum plebem ruſticam ſed & eminentioris conditionis matronas in inſpectione urinarum tantam reponere fiduciam, ut inde non ſolummodo ingravidationem ipſam divinari, ſed & ipſum plane ſexum diſcerni poſſe, ridicule ſibi perſuadeant, cum tamen haruspices tales Uroſcopi toto die decipiantur, dum urinae puerorum, juvenum, virorum imo plane caballorum nonnunquam ipſis offeruntur, ex quibus non ſine adſtantium cachinnis ſua vaticinia (hocas pocas) circulatorio ſtylo decantare ſolent.

§. 12.

Eodem modo comparatum eſt cum mulierculis, quas interdum, citra omnem tamen graviditatis ſuſpicionem, ingens & plane extraordinarius rerum inſolitarum adpetitus, picae haud abſimilis, enormiter divexat; Cum (ſecundum Supp. VI.) non ſolum

lum omnibus gravidis hoc ſignum familiare non ſit, nec ſemper obſervetur, ſed & puellis extra matrimonium viventibus & ſolummodo aliquo ſucceſſus menſtrualis vitio adfectis vel viripetis vel imaginativae nimium obſequentibus contingere ſoleat.

§. 13.

Quod denique *Hippocratis* experimenta attinet, quando nempe vel aquam mulſam potandam exhibuit Mulierculis, vel ſuffitus & odoramenta pudendis illarum admoveri juſſit, ea ſilentio lubens praetereo, quia partim nihil probant, partim etiam ſine abortus metu inſtitui vix poſſunt.

§. 14.

Quid vero tandem ex hiſce omnibus conficiemus? Nihil certe aliud, quam indicia, partim ab Imperatore adlata, partim aliis ex fontibus hauſta, ad graviditatem foemellae cujuſdam certo & indubitate evincendam non ſufficere; inprimis ſi (ſecundũ Supp. I.) ſeorſim conſiderentur, aliisque adfectibus (juxta Suppoſ. V.) communia ſint, inprimis vero (per Supp. VI.) cum graviditate nullum neceſſarium nexum habeant, multo minus ſemper & in omnibus ſubjectis reperiantur.

§. 15.

Fronte ſub adverſa, etiamſi lubentes utique fateamur, ſtatum impraegnationis (per Supp. VII.) facilius ab ipſis foemellis, quam ab aliis dignoſci; Imo licet ſufficienter perſuaſi ſimus, quamlibet mulierem (ſecundum Supp. VII. Spec. I. & Supp. III. Spec. IV.) de eodem iſto graviditatis ſtatu intime convictam eſſe: Attamen, quia pleraeque verſipellis ſunt ingenii, & ad confeſſionem ſpontaneam difficulter adigi

poſſunt,

poſſũt, interea tamẽ judici de vero delicti corpore conſtare debeat: Hinc exiſtimamus, quod, ſi (ſecundum Supp. I.) omnia praeſentia & ſuperius enarrata indicia non *ſeorſim*, ſed *collective* ſumantur, inprimis vero (juxta Supp. II. & III.) cum ſignis pathognomonicis conjungantur: Nulli amplius dubitamus, quin de praegnantia mulieris medico conſtare poſſit: Tanto magis, ſi indicia quaedam concurrant, ex ipſa oculari corporum inſpectione haurienda, de quibus tamen ut ſeorſim diſpiciamus, conſultum ducimus.

§. 16.

Supponamus autem, mulierem infanticidii ſuſpectam vel factam impraegnationem ſponte confeſſam, vel aliunde ex indiciis ſatis ſuperque convictam eſſe: Haec tamen omnia nondum ſufficiunt ad eandem de perpetrato infanticidii crimine convincendam; Niſi *vitalitas* foetus ac proinde qualiscunque violentia eidem illata, quae mortem illi conſciverit, invictis adhuc argumentis demonſtretur, ut ſic univerſum tandem corpus delicti plena in luce collocetur. Neminem namque fugit, quantis artificiis & ſubterfugiis vulgo utantur ad graviſſimum crimen ſibi imputatum eludendum, & quocunque modo a ſeſe amoliendum. Ita nonnullae illarum meretricularum, ut ab omni reatu immunes ſeſe praeſtent, opponere ſciunt, *abortum* fuiſſe, non *vitalem* omnibusque numeris abſolutum, quem excluſiſſent, foetum. Verum haec objectio eludi ſtatim poteſt, facta ipſius cadaveruli inſpectione oculari: Hinc enim facile patebit, inprimis ſi (per Praeſupp. III. & V. Spec. I.) res condigne aeſtimetur, an perfectam vel imperfectam ſuorum organorum atque partium elabora-

borationem habuerit, atque adeo inter *foetus abortivos* vel *vitales* & *legitimos* (per ejusdem Spec. I. Praeſupp. IV.) referri mereatur, necne?

§. 17.

At verò reperiuntur aliae, quae, infanticidii culpam declinaturae, non quidem negant, partum enixum fuiſſe *vitalem*, attamen ſtando ſeſe & quidem ab omni auxilio humano remotas peperiſſe, ſicque foetum cum vi eliſum capite illiſiſſe in terram vel pavimentum, ſicque ex violentia tali externa indeque inducta graviori laeſione diem ſuum ultimum obiiſſe. Quanquam autem, dabilem eſſe ejusmodi caſum, non diffiteamur, Actis quippe inquiſitionalibus ad Facultatem ſubinde transmiſſis id abunde teſtantibus: Sollicite tamen rurſus expendendum eſt, an laeſio talis a caſu ab alto vel aliunde fuerit contracta, nec non an in univerſum ita comparata fuerit, uti foetui mortem neceſſario conſciverit? Quae certe res difficilioris eſt dijudicationis, quam quis in animum ſuum tam facile admittere poteſt.

§. 18.

Non minori calliditate deſperatae cauſae hunc praetendunt fucum aliae, quaſi nempe paulo ante conſuetum & ſolemne partus tempus ingenti & plane prodigioſa uteri haemorrhagia fuerint correptae, unde primum foetus enormiter debilitatus, deinde vero vel in utero ipſo vel ſub laboribus partus extinctus fuerit. Specioſa profecto objectio! Sic enim rem in honeſtis etiam mulieribus ſeſe aliquando habere, haud paucis exemplis edocentur Practici. Abſolute autem & ſemper tale quid contingere, exemplis plurimarum mulierum abunde patet; quae, non obſtante

tali

tali enormiori haemorrhagia foetus vitales feliciter excluſere. Caeterum in individuo enormem talem haemorrhagiam, quae foetui necem intulerit, praeceſſiſſe, a ſuſpecta & infanticidii accuſata probandum eſt.

§. 19.

Rurſum aliae ſpecioſe ſatis excipiunt, funiculum umbilicalem collo infantis circumductum & ſic ſub ipſis partus laboribus eundem ſtrangulatum & ſuffocatum eſſe, teſte liveſcente circulo, qui in collo ejusmodi infantis obſervari tali in caſu ſolet. Specioſa iterum, fateor, illa eſt exceptio; Idem enim in honeſtis quoque mulieribus ſubinde contingere, multoties experiuntur Practici. Cum vero ſuſpectis ejusmodi perſonis fides tuto haberi nequeat: Hinc ſequitur, idoneis iterum argumentis id, quod praetendunt, probandum eſſe.

§. 20.

Praecipuum vero, idque familiarisſimum, prout paulo ante animadverſum eſt, foemellarum infanticidii accuſatarum ſubterfugium, quo inquiſitioni ſeſe ſubducere moliuntur, conſiſtit in eo, quod pleraeque, foetum ab ipſis excluſum non fuiſſe *vitalem*, praetendant; Ad quod enervandum omni ſuo molimine contendere debet Praetor, ipſique Medici auxiliatrices eidem manus porrigere. Ex his itaque non pauci celebres Viri, ad evincendam partus recens enixi *vitalitatem* ad decantatum illud hodieque uſitatum experimentum, pulmonibus foetus inſtitutum confugere ſolent, qui ſi vel aquae ſupernatent vel ſubmergantur, vel foetum noviter editum vixiſſe vel jam in utero denatum eſſe efficaciter probant; Qua

in

in ſententia nobiſcum ſunt *Ettmüllerus*, *Stalpartius van der Wiel*, *Harveus*, *Swammerdammius*, *Bartholinus*, *Raygerus* pluresque alii, qui, pulmonem infantis nuper nati aquae ſupernatare obſervantes, *vivum* atque *vitalem* editum fuiſſe recte inferunt: Quod ſi vero fundum petant, non reſpiraſſe atque adeo mortuum excluſum eſſe, non minori certitudine concludunt; Quicquid etiam *Bohnius*, *Zellerus* & cum illis integrae *Facultates Medicae* in contrarium allegare non vereantur.

§. 21.

Verum ut, vitato auctoritatis praejudicio, demonſtrativa magis methodo procedant omnia, pro conſuetudine noſtra denuo ſequentia praeſupponimus.

Primo: Quod, cum pulmones infantis recens nati, de quo dubium ſubortum eſt, an vel in utero ipſo vel ſub laboribus partus extinctus, an vero *vivus* pariter atque *vitalis* excluſus ſit, in proportionatam atque ſufficientem aquae calidae quantitatem injecti modo ſubmergantur, modo ſupernatent, realis omnino atque poſitiva hujus diverſi effectus cauſa eſſe debeat.

Secundo: Quod inter pulmonem *infantis vivi* & *mortui* ratione *denſitatis* vel *raritatis*, ac proinde intuitu *gravitatis* vel *levitatis* magna ſit differentia.

Tertio: Quod etiam intuitu ipſius coloris in pulmonibus foetus magna diſparitas & quod in foetu nondum nato ſubrubra, at vero in edito ſubalba eſſe obſervetur eorundem compages & ſubſtantia.

Quarto: Quod corpus quodvis ſolidum vel ſolideſcens ejuſdem cum fluido, cui immiſſum eſt, ponderis, neque adſcendat, neque deſcendat, ſed juſtiſſimum potius inter ſeſe mutuo ſervent aequilibrium fluida aeque ac ſolida: Si autem ſolidum vel ſolide-

 ſcens

ſcens fluido *ſpecie gravius* fuerit, deſcendat, ſin *levius*, adſcendat.

Quinto: Unde conſequitur, pulmonem foetus, qui reſpirando aërem nunquam hauſit, *ſpecifica gravitate* ſuperaturum aquam, cui immergetur, atque adeo deſcenſurum; Quia cellulae pnevmonicae nondum aëre dilatatae vel diſtentae fuerunt: Cujus rei contrarium eveniet in pulmone, qui aërem reſpirando hauſtum vel ſemel tantum admiſit, qui quippe ejusdem veſiculas pnevmonicas inflabit atque expandet, corpuſque pulmonum levius reddet, quo minus reſiſtentiam fluidi ambientis ſuperare queat, eoque caſu ſupernatabit.

Sexto: Quod idem experimentum ſuccedat pari felicitate in pulmonis *parte*, qua ſucceſſit in *toto*; Idemque tam in integro & recenti, quam putredinem jam ſentiente & corrupto.

Septimo: Quod quantitas aquae, cui pulmo vel totus vel pars ejuſdem immittenda ſunt, proportionata eſſe debeat: Unde quotieſcunque experimentum infido potitur ſucceſſu, toties indubitatum praebet argumentum, neceſſariam quandam circumſtantiam vel neglectam, vel ſecus, quam oportebat, experimentum eſſe inſtitutum.

§. 22.

Ex quibus proinde omnibus ſequens fluit demonſtratio: Si (per Supp. II ac III.) pulmones infantis nondum nati *ſubrubri* non modo adpareant, ſed & *denſioris compactioriſque* compagis obſerventur, ac proinde (juxta Supp. IV.) *ſpecifica gravitate* praepolleant aquae ſubjectae, cui immiſſi ſunt: Hinc ſequetur, non-tantum (per Suppoſ I.) realem atque poſitivam hujus diſpari-

ſparitatis rationem *in genere* eſſe oportere: Sed & (juxta Supp. V.) ſpecialiter in eo conſiſtere debere, quod aër reſpirando admiſſus vel non admiſſus majorem ſive *gravitatem* ſive *levitatem* pulmonibus conciliaverit: Unde (per idem Suppoſ.) vel ſubmergentur vel ſupernatabunt aquae, atque adeo efficaciter demonſtrabitur: Ejusmodi partum vel in utero vel ſub laboribus partus extinctum, vel extra eundem manu violenta peremtum eſſe. Id Q. E. D.

§. 23.

Quanquam igitur, ut ex modo dictis manifeſtum eſt, hoc experimentum rationibus phyſico-anatomicis ſuffultum problemati propoſito demonſtrando ſic ſatis congruum ſit: Reperiuntur tamen, quos inter ſuum quoque nomen profitetur Clariſſ. *Bohnius*, Profeſſor Lipſienſis, nuper eheu! viventium coetu non ſine bonorum omnium luctu exemtus, qui, licet quaeſtioni illi *theoreticae*, an foetus in utero reſpiret? diſcutiendae, caeteris paribus, admodum congruum eſſe iſtud experimentum exiſtimet: Attamen ut fidum & infallibile documentum aſſumi poſſe, pro decernenda quaeſtione magis *practica:* An natus in utero, an extra eundem demum obierit occiſusque fuerit? non facile concedet. Tanto vero minus pro defendendis aut inculpandis ſeu convincendis infanticidis, admitti unquam poſſe, tamdiu minimum tergiverſantur, donec difficultates, quae non levis momenti ipſis videntur, quaeque teſtimonii iſtius fidem ſubleſtam & dubiam reddere valeant, remotae atque diſcuſſae fuerint.

§. 24.

Has inter primum ſibi locum vindicat, quam

modo laudatus *Bohnius* in erudito Tractatu *de duplici medici officio, clinico* & *forenſi* pag. 662. & ſequentibus attulit. Nempe quod pulmones infantis, *intra uterum maternum mortui* artificio quodam aeque rari ac natatiles reddi queant ac pulmones *vivi nati*, tantillum aëris faucibus inſufflando, quo quippe medio ipſi quoq; pulmones, foetu mortuo exſecti tales evadant, ut vix ullo poſtmodum molimine (niſi forſan per antliam pnevmaticam omni aëre probe evacuato) ad omnimodam denuo ſubſidentiam diſponi queant. Imo provocat ad alia experimenta a ſemetipſo & aliis inſtituta in catulis, mortuis, quorum exſectos pulmones levi aëris impulſu eousque diſtenderit, ut ſuperficiei aquae innataverint, qui, ſi ſua experimento ſuperius adlato fides conſtare deberet, ſubſidere & ſubmergi potius deberent. Verum enim vero quanquam *experimenta Bohniana*, quae utique tam in pulmonibus brutorum quam foetuum humanorum in utero demortuorum ſuccedunt, in dubium vocare non praeſumam: Ipſemet tamen *Bohnius* a ſe impetrare vix poteſt, ut ejusmodi *virulentum ac malignum hominum genus ſingat, quod experimenti iſtius gnarum, talem pulmonum rarefactionem intra uterum mortui infantis attentet, matremque hujus innocentem crudeli plane ac maligno affectu in infanticidii praeſumptionem conjiciat.* Alter vero, quem fingit, caſus, optandus potius quam ſperandus eſt. Ubi enim quaeſo reperietur foemina tam tenerae conſcientiae, quae, ſi furtiva ex venere gravida reddita fuerit, ac deinde foetum meretricium ediderit debilem & ſyncopizantem, non potius exultatura, quam eidem opem latura ſit, ori ejus aliquid aëris inſufflando atque ita ex mortis faucibus eripiendo, quae nihil

magis in votis habet, imo nihil majore cura attentat, quam ut quam primum internecioni detur, ejusdemque qualiſcunq; fama & exiſtimatio integra & incolumis conſervetur. Vel, quae impudica mulier id ſolis etiam obſtetricibus eſt permiſſura, ut vere etiam ante nativitatem mortui infantis pulmonibus aliquid aurae inhalet, ſicque in propriam matris necem explicet atque natationi adaptet. In honeſtiorum vero matronarum partu debiliore id quandoque ab obſtetricibus fieri, non negamus. Cur vero *Reygerum* ſuas in partes pertrahere conatus fuerit *Bohnius*, id quidem ſatis non perſpicio, niſi id unum forte ipſi faveat, quod *Reygerus*, poſteaquam Dec. I. Anno I. Obſervat. CCII. prolixe enarraverat, qua ratione pulmones recens natorum parvos, parenchymatis hepatis forma conſpicuos in aquam ſubmerſos fundum toties, quoties injecti eſſent, petere obſervaſſet, indeque, infantes iſtos in utero non reſpiraſſe, ſed ante excluſionem jam mortuos eſſe, recte concluſiſſe; ſubjiciat tandem, alterutrum iſtorum pulmonum ſeſe ſumpſiſſe, perque aſperam arteriam inflaſſe, unde toti ſtatim fuiſſent diſtenti, & mox omni conamine expreſſo iterum flatu, nihilominus natitaſſe ſeu fluctuaſſe pulmonem, nec mergi denuo potuiſſe. Interim *Reygerus* idem, quod nos ex iſtis experimentis deducit conſectarium: *Argumentum* nempe *eſſe indubitatum ad convincendas infanticidas & indagandam veritatem, an infans in utero mortuus vel demum poſt partum quocunque modo ſtrangulatus vel occiſus ſit?* Nec deniq; ex cadaverulo nati, quod juſſu Magiſtratus inſpexit *Bohnius*, quicquam mutuari poteſt, quod ſententiae ejus patrocinetur: Quia natus ille reapſe mortu-

mortuus non erat, ſed debilior tantum; Si enim commercium illud inter animam & corpus omnino deſiiſſet, qui poſſibile quaeſo fuiſſet, ut bis adhuc exhalare potuiſſet, id quod tamen factum fuiſſe, fide & relatione obſtetricis, quae partui adfuit, conſtat.

§. 25.

Quod vero deinde *Bohnius* noſter in *dyſtocia* ſeu qualicunque partus difficultate *non raro* evenire ſupponit, nempe *ruptis ſecundinis ac profuſis aquis ambientibus, foetum intra uterum aliquamdiu adhuc haerentem tantum aëris per vaginam admittere & intra pulmones recipere poſſe, quantum ad illos tantiſper explicandos atque natatiles reddendos ſufficiat, mortuo nihilominus eodem demum exturbato*: Id nos *unquam poſſibile* eſſe, vix ac ne vix quidem parſuaderi nobis patiemur. Praeterquam enim, quod *Bohnius* ipſe in negotio tanti momenti, ſanguinem quippe humanum concernente, eminentiori quam *conjecturae* titulo hanc ſuam ſententiam venditare non audeat: Illud etiam obſtat, quod, qui hic ſupponitur aëris introitus per vaginam in fundum uteri & conſequenter os infantis, ſit plane *impoſſibilis*: Quia nulla hic cauſa inveniri vel fingi ſaltem poteſt, quae vel uterum ipſum dilatet, vel foetus thoracem expandat ſicque ſpatium concedat aëri, ut per vaginam uteri irrumpere queat: Cum nullum corpus alterius locum occupet, niſi priore ex eodem expulſo, ſicuti hoc modo aqua in globum vitreum prius non irruit, quam aëre mediante antlia pnevmatica exhauſto. Atque tali proinde caſu pulmones ejus infantis, ſi quam maxime mortuus prodierit, leves, explicabiles ac natatiles effici poſſe, nunquam crediderim. Aliter vero ſeſe res habet, ſi integro capite jam extra pudenda

denda muliebria promineat foetus, ſed propter ſtricturam vehementem orificii uteri interni exitu ſuo potiri nequeat. Quo caſu poſſibile eſſe, ejuſmodi foetum nonnunquam ſic ſatis ſenſibiliter anhelare, nihil repugno.

§. 26.

Quae omnia aequa animi lance, ſicuti in re tam gravi oportebat, perpendens ingenioſiſſimus *Bohnius* noſter, concedit quidem, ex pulmonum recens nati natatu inferri poſſe, eundem reſpiraſſe atque vixiſſe: Suſpicatur tamen, *incertam nihilominus ac fallacem maxime alteram experimenti hujus partem, hincque factam illationem minus firmam fore, ex ſola nempe pulmonum ſubmerſione natum in partu & poſt partum non vixiſſe.* Quidni vero? Quaenam argumenta vel dubitandi ſaltem rationes habet noſter, quae affirmare haud ſinunt, *omnes natos, quorum pulmones, aquae commiſſi, huic ſubmerguntur, ante partum e vivis diſceſſiſſe.* Nullas ſcilicet, quae fidem experimenti infringere vel rationes ejus vel minimum labefactare valeant: Etiamſi enim haud difficulter concedam, foetum, quamdiu uteri materni ergaſtulo adhuc concluſus eſt, ſine reſpiratione vivere poſſe, atque adeo tali in caſu vitam reſpiratione priorem eſſe: Attamen de jam nato ſeu extra Uterum verſante (niſi forte membranis ſuis adhucdũ circumdatus ſit) id largiri nulla ratione poſſum, quod recens natus aliquamdiu ſine *omni reſpiratione* vivere queat. Eſto enim, *partum usque adeo languentem non raro excludi, qui omnis motus, ſenſus atque reſpirationis per aliquot momenta expers eſſe videatur, ut variis vellicationibus, fomentationibus calidioribus, aromatum atque ſpirituoſorum liquorum aſperſionibus & aeris inhalationibus*

demum

demum excitandus ſit: An ideo ſequetur, ejusmodi partum, in quo ſenſus, motus, reſpirationis atque adeo ipſius quoque vitae indicia paulo obſcuriora ac minus ſenſibilia ſunt, vita omnino privatum eſſe? Minime gentium. Non ſenſibilis eſt craſſis noſtris ſenſibus motus, reſpiratio, vita foetus: Ergo nulla prorſus adeſt. Non ſequitur. Idem enim in lipothymicis, ſyncopticis, ſtrangulatione uterina tentatis &c. toto die obſervamus, quos tamen aliquo poſt tempore reſtitui & ad ſe redire, non minus multiplici experientia compertum habemus.

§. 27.

Verum alia a nobis diluenda ſupereſt difficultas. Obſervarunt nempe non ſemel *Bohnius* aliique curioſi rerum talium perſcrutatores, *unius ejuſdemque recens editi pulmonis fruſtulum quoddam ad vaſis fundum deſcendiſſe*, *alterum vero innataſſe*: Unde inferunt, non parum iterum fidei huic praeſumtioni, a *natatu* & *deſcenſu* pulmonum petitae derogari: Atq; ideo *Craanius* monet, omnes pulmonis lobos adcurate explorandos, diſcindendos hoſque ſucceſſive aquae injiciendos eſſe; Ex quo deinde concludit: Quod, ſi omnes aequaliter fundum petant, foetus ante partum vita exceſſerit; Quod ſi autem per momentum tantum reſpiraverit, certo & recte inde inferri exiſtimat, foetum per aliquot ſaltem momenta extra uterũ jamdum reſpiraſſe atque adeo vixiſſe; Quatenus ſinguli pulmonum lobuli aëre non aeque fuerint repleti, adeoque majore forſan pulmonum parte ſubmerſa, aliqua tantum ſupernataverit. Accedunt binae a *Zellero*, Profeſſore Medicinae Tubingenſi adductae obſervationes, quarum prima ſiſtit vitulum, poſt partum ſui

per

per dimidium horae ſpatium adhuc ſuperſtitem & crebris anhelationibus fortioreque abdominis motu, ſe reſpiraſſe, teſtatum facientem, cujus nihilominus pulmones aquae injecti, lapidis inſtar fundum petierint: Altera vero ex Actis Judicialibus, infanticidium & nepoticidium concernentibus & Ampliſſimae Facultatis Medicae Tubingenſis judicio expoſitis deſumpta eſt, & ſiſtit infantem poſt ſui nativitatem aliquot vicibus evidenter vagientem hincque reſpirantem, cujus vivi clandeſtine ſepulti ac denuo eruti pulmones aquae injecti pariter prompte ſubmerſi fuerint. Verum enim vero, quid ad ſingula haec experimenta reſponderi debeat, in erudito Scholio *Lucae Schroeckii* ad obſervationem CIV. Dec. III. Anni I. & II. Ephem. N.C. legi poteſt. Is nimirum, ponderatis probe omnibus experimenti momentis, adſerere non dubitat, *in vitulo praeternaturalem pulmonum conſtitutionem adfuiſſe*, atque proinde reliquorum experimentorum, in ſanis pulmonibus inſtitutorum, robur nullatenus inde infringi arbitratur: Cum alter lobulorum pulmonalium craſſus & ob mucum veſiculas obſtruentem ad inflationem fuerit ineptus: Unde ſequitur, graviorem illum extitiſſe, atque adeo aërem in reliqua ſana pulmonis parte contentum non ſuffeciſſe pulmoni in alto ſuſpenſo detinendo, ſed alteri illi, pondere ſuo ad fundum detrudenti, cedere coactum fuiſſe, plane ut nos ſuperius (per Supp. IV. & V.) concludere nulli dubitavimus. Secundi vero ex perimenti *Zelleriani* vim atque nervum inde potiſſimum enervare laborat, quod, cum iſto infoetu hepar corruptum atque tumefactum, ipſumque abdominis cavum

aquae quantitate repletum fuerit, non levis inde ſcrupulus injiciatur, annon idem quoque vel ſimile aliud in pulmonibus vitium adfuerit, idemque merito ſuſpicamur, ſi quaedam pulmonum aquae immerſorum pars ſubinde innatet, ſubinde vero ſubmergatur.

§. XXVIII.

Ex quibus omnibus id tandem conficitur: Hoc experimentum de *natatu* & *ſubmerſione* pulmonũ indubitatum ſubminiſtrare argumentum Judicibus atque Medicis ad convincendas infanticidas & indagandam veritatem, an infans in utero mortuus vel poſt partum demum quocunque modo ſtrangulatus vel occiſus fuerit? Quanquam non negaverim, tanto magis ſtringere experimentum, quo plura combinantur phaenomena, illius pondus intendentia; Id quod aliquando ſaltem evenire poſſe, ipſemet *Bohnius* diffiteri non audet. V. G. ſi ſuffuſio ſangvinis circa nares, ab earundem violenta compreſſione ſine dubio orta, obſervetur; Si in ipſa cadaveruli inſpectione hinc inde ſtigmata, collum ſugillatum, vellicatio item variis in partibus corporis facta detegantur; Si os infantis cineribus vel alia requapiam obturatum fuerit; Si funiculus umbilicalis abruptus vel reſciſſus conſpiciatur, nulla debite ſequuta, ut moris eſt, deligatione; Si foveae in cranio vel alia quaedam violentiae externae ſigna hinc inde luſtranti ſenſui occurrant; Si infantis os fauceſque ſpuma fuerint repletae &c. Quanquam enim ſingulis hiſce indiciis parem probandi efficaciam non vindicem: Eſt tamen extra omnem dubitationis aleam poſitum, quod, quo plura

illo-

illorum concurrunt, majorem quoque concludendi vim poſſideant.

§. XXIX.

Caeterum ſequentia adhuc ex praedictis fluunt conſectaria:

I) Falli, quotquot praegnantiam mulierum nullo unquam tempore per certa, infallibilia, pathognomonica ac vere demonſtrativa indicia cognoſci poſſe exiſtimant; Atque adeo in meras tandem conjecturas atque probabilitates univerſum negotium reſolvunt.

II) Cauſam incertitudinis praegnantiae non latere in re ipſa, ſed tantummodo in incuria & inadvertentia mulierum: Alias enim ſequeretur, naturam foemellas humanas prae illis brutorum in longe infeliciorem conditionem detruſiſſe, cum his impraegnationis tempus exactiſſime cognitum atque perſpectum ſit; Nam ex quo conceperunt, nullum amplius maſculum non tantum non admittunt, ſed & vi quadam a ſe depellunt. Sequeretur etiam, mulieres juvenculas noviter nuptas in dijudicanda praegnantia doctiores eſſe illis, quae jam aliquoties peperere, cum rariſſime, gravidas ſeſe judicando, fallantur.

III) Praeſentiam lactis in mammis non eſſe infallibile ſignum defloratae virginitatis vel impraegnationis vel editi partus.

IV) Gerras eſſe gerrarum, quas obſtetrices tam de dehiſcentia oſſium pubis, quam de Signo ſic dicto muliebri imprudenter non minus quam impudenter effutiunt.

V) Nullum foetum in utero matris reſpirare. Cui enim bono Natura foramen ovale cum ductu arterioſo tanta induſtria in embryone efformaſſet?

VI) Si pulmo infantis recens nati vel natans vel ſubmergens infallibile praebet indicium, num vel poſt partum vixerit, vel in utero jam demortuus ſit, ſequitur, hoc experimentum intermitti nunquam debere, quia multum facit ad inquiſitam ſive excuſandam ſive convincendam. Sequitur etiam, proceſſum inquiſitorium, neglecto hoc experimento, nullitatis quidem coargui omnino non poſſe: Manifeſtum tamen eſt, involvere qualemcunque neglectum illarum circumſtantiarum, quas jure *ſubſtantiales* adpellare licet; Quia, ſi experimentum dextre fuiſſet inſtitutum, inquiſitae forſitan vel prodeſſe, vel corpus delicti certius atque citius in apricum deduci potuiſſet.

VII) Nullum juris effectum hiſce in caſibus ſequi, niſi ex ſententia & judicio Medicorum.

SPECI-

SPECIMEN QUINTUM
MEDICINAE FORENSIS

Praefatio.

NUlla beſtia tam ferox, tam crudelis, tam ab omni manſuetudine aliena eſt, quae non tenerrimo quodam στοργῆς *ſenſu incitata foetum, quem modo exluſit, lambat, demulceat, ubera eidem adcommodet, uno verbo, de vitae, quam nuper illi dederat, conſervatione ſit ſollicita. Sola foemina humana, quam non procreandae ſobolis, ſed foedae atq; impurae voluptatis veneriae extinguendae cupiditas cum maſculo conjunxerat, ſola, inquam, fœmina humana eſt, quae, altiori licet prae brutis lumine colluſtrata, uſq; adeo tamen ab omni humanitatis & commiſerationis ſenſu eſt remota, ut ejus, quem arcto uteri ergaſtulo ad huc concluſum geſtat, foetus perniciem prius meditetur, quam perfectam par-*

tium & organorum ſuorum formationem adquiſiverit, per abortiva pocula intempeſtive foetum immaturum expellendo, vel, ſi perniciosum tale conſilium cadat in irritum, quamcunq; violentiam ventri inferendo, ut, quod exturbari non poterat, vitalitate privetur, vel ſi iſto etiam fine excidat immiſericors mater, & foetus praeter expectationem vitali aura donatus publicae luci ſiſtatur, violentas manus eidem inferendo, ſicq; immani crudelitate in propria veluti viſcera ſaeviendo. Optandum foret, immania talia & ab omni humanitate aliena crimina inter nos non exaudiri! Nihiloſecius tamen urbs noſtra, utut non admodum populoſa, anno proxime elapſo bis abominandum tale vidit ſpectaculum, altero infantum expoſitorum miſere a porcis dilaniato, altero vero cum omni puerperii adparatu in platea publica mortuo reperto. Latuerunt hucuſq; infanticidae, nec ulla reperiri potuit via, tanti criminis reas judicio ſiſtendi ſicq; Nemeſi divinae ſatisfaciendi. Nec mirum; Si enim difficile eſt, ſuſpectam convincere; Longe ſine dubio difficilius erit, inter tot innocentes puellas ſolam nocentem, nulla alias tanti criminis ſuſpicione laborantem, inveſtigare. Quid ergo conſilii? An, quod ſuperiori ſeculo fecit Praetorium Viennenſe *vel* Senatus Dubanus, *imitan-*

imitandum eſt, omneſq; vel ſaltem pleraeque puellae promiſcue in curiam evocandae ſunt, ut corporum inſpectioni nolentes volentes ſeſe ſubjiciant? Abſit. Quia dubium eſt, an iſto procedendi modo infanticida explorari posſit? Et quanquam posſibile foret, multae ſamen ſimul innocentes ſine cauſa denudarentur, eoq; ipſo ignominiam non facile delebilem incurrerent. Non ita quidem deſipiunt hodie Judices, ut fallax & cum jactura famae ſexus inevitabiliter conjunctum experimentum Senatus Dubani *vel* Praetorii Viennenſis *frivole imitentur: Interea tamen cum inſpectionem corporum conſtitutione atq; lege publica ſancitam eſſe videant, jure illam ſaltem in puellis, de puerperio ſuſpectis, in uſum vocari poſſe contendunt. Cum vero, IN QUIBUS, PER QUAS PERSONAS & QUO MODO iſta corporum inſpectio ſit peragenda, res ſit multis adhuc dubiis expoſita: Hinc peculiarem adhuc diſquiſitionem eidem deſtinare conſultum duximus, inprimis poſtquam ſpecimine praecedenti ſignorum ab Imperatore adlatorum incertitudinem ſatis ſuperq; perſpeximus. Faxit modo ſummum Numen, ut iſta quoq; commentatio Reipublicae utilis ſit atq; proficua.*

TRANS-

TRANS-SUMPTIO.

Art. XXXV. Conſtitut. Crimin. Carol. V.
Vide ſpecimen IV. pag. 47.
&
Lib. I. Digeſt. Libr. XXV. Tit. IV. de inſpiciendo ventre.

Temporibus Divorum Fratrum cum hoc incidiſſet, ut maritus quidem praegnantem mulierem diceret, uxor negaret, Conſulti Valerio Priſciano Praetori urbano reſcripſerunt in haec verba: Novam rem deſiderare Rutilius Severus videtur, ut uxori, quae ab eo diverterat, & ſe non eſſe praegnantem profiteatur, cuſtodem apponat; Et ideo nemo mirabitur, ſi nos quoq; novum conſilium & remedium ſuggeramus. Igitur ſi perſtat in eadem poſtulatione, commodiſſimum eſt, eligi honeſtiſſimae foeminae domum, in quam Domitia veniat; Et ibi *tres obſtetrices probatae & artis & fidei,* quae a te aſſumtae fuerint, *eam inſpiciant.* Et ſi quidem vel *omnes* vel *duae renunciaverint, praegnantem videri,* tunc perſuadendum mulieri erit, ut perinde cuſtodem admittat, atq; ſi ipſa hoc deſideraſſet. Quod ſi enixa non fuerit, ſciat maritus, ad invidiam

exiſti-

exiſtimationemq; ſuam pertinere; Ut non immerito poſſit videri captaſſe hoc ad aliquam mulieris injuriam. Si autem vel omnes vel plures, *non eſſe gravidam, renunciaverint*, nulla cauſa cuſtodiendi erit.

EXPOSITIO.

§. I.

TEnebris ſpiſſisſimis circumfuſus oberrabit Judex & in detegendo *infanticidii* crimine talpa coecior erit, niſi prius evictum atq; probatum fuerit ab illis, qui rerum talium compotes ſunt: *Foeminam* INFANTICIDII *ſuſpectam reapſe gravidam fuiſſe atq; peperiſſe.* Cum vero graviditatis ſtatus (ſecundum Supp. VII. & poſtrem. Spec. IV.) difficulter ab aliis, difficilius primis geſtationis menſibus & omnium difficillime praeterita mulierum praegnantia cognoſci & explorari poſſit: Hinc praeter indicia communia, intumeſcentiam ac detumeſcentiam abdominis palloremq; faciei, de quibus aliiſq; *ſpecimine praecedenti* diſpeximus, neceſſarium eſſe duxit Imperator, ut puella, quae de partu clam occiſo ſuſpecta habetur, ab *obſtetricibus aliiſq; peritis Mulieribus* inſpiciatur, & ad illarum depoſitionem, ſi delictum pertinaciter negare perrexerit, tormentis ſubjiciatur; Quae eadem quoq; intentio eſt *legis citatae Digeſtorum de inſpiciendo ventre*, quo quippe in textu jubentur *obſtetrices* diſertis verbis, ut ſint medicae

probatae artis ac fidei, & quibus proinde, tanquam ſua in arte peritis, aeque ac aliis credendum ſit.

§. II.

Eſtq; quaeſtio illa de exploranda puellae impraegnatione *praeſenti* tanto magis neceſſaria, quo certius Judicis intereſt, de eadem ſufficienter convictum eſſe: Quia leges ejusmodi perſonarum eam habuere rationem, ut damnatarum, nempe vel conſumendarum vel quacunq; alia ratione capitaliter puniendarum vel corporaliter ſaltem adfligendarum, v. g. tormentis ſubjiciendarum vel virgis caedendarum, poena differatur, quoad pepererint. Idq; a pleriſq; religioſe obſervatum eſt, niſi quod Imperator CLAUDIUS nullo commiſerationis ſenſu erga miſeras tales perſonas tactus eſſe videatur, qui ne quidem ab ultimis praegnantium mulierum ſuppliciis abſtinuit, peſſime ideo apud pleroſq; audiens. Recte interim Jura ſic diſpoſuiſſe videntur; Quia, cum innocens foetus nihil peccaverit, eidem quoq; poenae, cui peccaminoſa mater merito ſubjacet, ſubmitti jure nequit: Unde prudenti providentia hic opus eſt, ne vindicta divina in ejusmodi minus circumſpectum Judicem derivetur, ſi ſupplicio ultimo gravidam deſtinet, ſicq; innocentum foetum una cum matre nocente perimat, qualem tragicum Caſum Lutetiis Pariſiorum aliquando contigiſſe, ubi nempe propter incautam obſtetricum atq; chirurgorum relationem gravida ſuſpendio fuit extincta, ex *Dn. de Caux* allegavit *Ammannus* in *Jrenico*, & paulo poſt pluribus circumſtantiis a nobis allegabitur.

§. III.

§. III.

Requirit itaq; Imperator ad inſpiciendum ſuſpectae corpus *obſtetricem* vel *aliam Mulierem*, peritam nempe & artis obſtetriciae gnaram; Unde ſuſpicor, alterius longe indolis Ejus tempeſtate mulieres iſtas fuiſſe, quam noſtris prohdolor temporibus reperiuntur, de quibus quippe ipſe *Zacchias*, triſti experientia edoctus, fateri non erubeſcit, illas plerumq; hiſce de rebus dubiis, graviditatem praecipue vel puerperium concernentibus, de quibus quippe utplurimum teſtimonium perhibere jubentur, falſa aeq; atq; futilia deponere. Scio equidem, ICtorum ora illud pervulgatum quotidie pervolitare, ut quaſi axiomatis vim hodie obtinuiſſe videatur: *Cuilibet perito* (peritae) *ſua in arte credendum eſſe*: At profecto, niſi, ut dictum eſt, peritiores ſua in arte fuerint *obſtetrices* Imperatoris, quam noſtro, aevo, comprehendere vix datur, quomodo negotium tam ſonticum ſine gravi conſcientiae laeſione ignaris ejusmodi vetulis potuerit demandari, quae quippe ſolidae relationis loco ni niſi gerras, ſuperſtitioſas & ſcurriles fabulas enarrare ſolent, quarum ineptiarum ſingularia ſpecimina qui legere cupit, *Ammanni Irenicon* evolvere poteſt. Nihilominus ſunt in *poſſesſione vel quaſi*, & in eadem quoq;, accedente inprimis aura populari, ab ipſis quoq; Magiſtratibus confirmantur, quanquam invitis omnino legibus, quae quippe obſtetrices jubent eſſe medicas, probatae artis ac fidei, & quibus proinde tanquam peritis ſtandum atq; credendum ſit. Sed ejusmodi *obſtetrix*, artis ſuae perita & probata, noſtris in terris

 tam

tàm rara eſt avis, ut inter centum vix una reperiatur, quae iſto obſtetricandi munere rite perfungi queat. Ut inde ſine dubio in *Gallia*, *Belgio foederato*, *Helvetia* aliiſq; regionibus Magiſtratus Civiles fuerint commoti, obſtetricandi provinciam medicis vel chirurgis peritis concredere, parum morantes, an *Moralium Doctores* DECORO convenire vel minus, eſſent judicaturi. Hoc tamen ita quempiam interpretari nolumus, ut propterea ab omni inſpectione dictis in casibus arcendas eſſe *obſtetrices* praetendamus; Poſſunt caeteris paribus admitti, dummodo earundem directores & moderatores conſtituantur medici, id quod hodie a bene conſtituto Magiſtratu utplurimum fieri adſolet.

§. IV.

Eſt autem hic potiſſimum quaeſtio de indaganda *impraegnatione* ſuſpectae cujusdam puellae *praeſenti* vel *praeterita*; Ubi libere enunciamus, ſolam *obſtetricem* vel *quamcunq; aliam mulierem*, pari quippe cum *illa* imperitia & ignorantia laborantem, medici inprimis ſubſidio & moderatione non adjutam, de *ingravidatione praeſenti* inquiſitae nihil certi deponere poſſe. Quia, etſi (ſecundum ſupp. VII. & VIII. Spec. IV.) praegnantia mulierum exploratu non ſit omnino impoſſibilis: Attamen, cum non modo difficulter detegatur ab aliis tam *in univerſum*, quam primis *ſpeciatim* menſibus; Sed & haud levis in negotio tam difficili requiratur circumſpectio, qualis in noſtras obſtetrices perraro cadit, illaeq; inſuper peritia neceſſaria omnino deſtituantur: Hinc vix perſuaderi mihi

patior,

patior, poſſe illas de *impraegnatione praeſenti* condignum perhibere teſtimonium atq; adeo *vacuam* a *gravida* rite diſcernere. Accedit, vetulas haſce toties ſuis in judiciis fuiſſe deceptas & falſis narratis Judices ſeduxiſſe, ut *gravidas*, quas illae *vacuas* declaraverant, ſummo ſupplicio adficiendas tradiderint; Quale exemplum enarrant *Bohnius* & *Ammannus*, ille in tractatu de *duplici medici officio*, hic in *Irenico*, de foemina quadam *Lutetiis Pariſiorum* ob furta ſuſpenſa, quae, licet ad extremum uſq; ſpiritum ſeſe gravidam eſſe motumq; foetus perſentiſcere aſſeveraret, vacua tamen, nec foeta ab obſtetricibus atq; Chirurgis, ad viſitationem corporiſq; inſpectionem convocatis, fuit judicata, donec tandem ſectio Anatomica in cadavere foetum circiter ſeptimeſtrem detegeret. Similia alia ab aliis recitantur exempla. Et quidni praeceps hic occaſio errandi ſeſe offerret ignaris ejusmodi aniculis, cum *Hippocrates* ipſe & multi alii excellentes medici cum ipſo ingenue faſſi fuerint, ſe haud raro ancipites haeſiſſe atq; dubios, num mulierem aliquam praegnantem declarare deberent necne? Imo liceat mihi ad meam quoq; provocare experientiam; Sancte enim teſtor, quam plurimas ſuſpectas puellas de menſtruorum ſuppreſſione me conſuluiſſe, de quarum conditione, ut certi quippiam determinarem, ſaepiſſime haeſitavi, dubius, an iſta menſium emanſio graviditatem, ut alias ſolet, comitaretur, an vero a quacunq; alia cauſa ſuam derivaret originem?

§. V.

Tanto vero minus certi quippiam de *impraegnatione praeterita* deponere ſciunt *obſtetrices*: Quia recentis

puerperii ſigna atq; indicia ſucceſſu temporis obliterantur, nec ullum ſui veſtigium relinquunt. Quod enim de rugis ſeu plicis in ventre inferiori *poſt partum* relictis garriunt aniculae, faſciatione plerumq; praepediri ſolet, qua quippe abdomen in ſeſe denuo contractum rugoſitatis expers redditur. Taceo, multa hodieq; artificia coſmetica pleriſq; mulierculis innotuiſſe, ventrem aequali in planitie ac nitore ſine rugis atq; plicis conſervandi. Majoris temeritatis ac praecipitantiae reas ſeſe reddunt, dum de oſſium pubis dehiſcentia, etiam poſt aliquot menſes imo integrum plane annum reſidua, multa incondita ſine ulla ſolida ratione & experientia deblaterant: Cum, craſſo ſenſu rem aeſtimando, non neceſſarium ſit ullo in partu, ſive facili ſive difficili, oſſa pubis ſemper dehiſcere, quae quippe per ſynchondroſin tam arcte inter ſeſe mutuo juncta & unita ſunt, ut, qui ſemel tantum in Anatomicis ſectionibus illa ſeparari vidit, vix amplius ſibi perſuadere queat, a capite foetus tranſeuntis divelli ipſa a ſe mutuo tam facile poſſe, quae, quod potius viarum anguſtiis ſeſe adcommodent, ovalis, qua prodire plerumq; ſolent, capitis figura demonſtrat, ut ab *obſtetricibus* demum in rotundam ſeu globoſo-ſphaericam formam conformanda ſit. Quod inſuper de *ſigno muliebri ſub umbilico* reperiundo temere effutiunt, ad fabuloſas mulierum iſtarum delirantium narratiunculas relegamus. Aeq; abſurdum eſt, quod de ingenti amplitudine inteſtini recti, ut pugnum admittere queat, impudenter deblaterant: Quia muſculus ſphincter dicti inteſtini

tam

tam arcte connivet, ut vix pollicem ſine ingentibus cruciatibus admittat; Quanquam hanc pollicis immiſſionem in inteſtinum rectum, & excitatam hac encheireſi oſſium coccygis reclinationem multis *obſtetricibus*, ad partum facilitandum, valde ſolemnem eſſe, non ignorem, quae tamen operatio, violentius inprimis inſtituta, nihil plerumq; aliud, quam paralyſin harum partium & conſequenter involuntarium faecum alvinarum profluvium pediſſequum habere ſolet. Multo vero minus ex ipſarum partium genitalium *praeſenti conſtitutione* certi quippiam de *praecedenti puerperio* hariolari poteſt *obſtetrix*; Quia non modo ſecundum naturam vaginae uterinae diſpar in diverſis ſubjectis amplitudo eſt, ſed & exacto poſt unum vel alterum menſem puerperio, illa eodem modo ad priſtinam ſuam arctitudinem vel *ſponte* revertitur vel *artificialiter* reducitur, ſicuti fundus uterinus, qui, licet ſub ultimis graviditatis menſibus in immenſum dilatatus eſſet, ſenſim tamen ita contrahitur, ut miraculo proximum ſit, tantae molis & amplitudinis corpus ad tantam arctitudinem reduci denuo potuiſſe.

§. VI.

Quod ſi quem itaq; ea teneat curioſitas, ut cunctas haſce obſtetricum ineptias uno obtutu videre geſtiat, ille tantummodo oculos ſuos conjiciat in *Sabinam Lindneriam*, anno 1684. furti accuſatam, quae, ut torturam evitaret, callide finxerat, et in ipſo torturae loco ſponte faſſa fuerat, ſe ante annum foetum vivum enixam eſſe eumq; interfeciſſe, indicando

ipſum

ipſum plane locum in hac vel illa domo, ubi corpus delicti inventuri eſſent. Cum vero (*Bohnio* loco ſaepius allegato factum ſic enarrante) cadaver nati illis, quae indicaverat locis, inveniri non potuiſſet: Hinc obſtetricum cuidam a *Praetore* commiſſum eſt, ut inquiſitae corpus inſpiceret, quae dicto audiens, illam utiq; olim impraegnatam fuiſſe & peperiſſe, ſine ullo certo aut ſaltem probabili indicio depoſuit, ſuae inſuper renunciationi tot adjiciens ineptias, quot verba & rationes: Nempe, quod *Lindneriae* inteſtinum rectum, ad pugnum excipiendum, dilatatum fuerit, quod ejusdem abdomen flaccidum atq; rugoſum, quodq; oſſium pubis commiſſuram cartilagineam divulſam & adhuc hiſcentem deprehenderit. Quibus abſurdis & fabuloſis narratiunculis ſi ſtetiſſet Judex, nec medici prudentioris cenſurae ſubmiſiſſet, *Sabina* noſtra ſecundum regulas artis Juridicae METHODICE, h. e. tanquam confeſſa atq; convicta, capitis ſine dubio damnata fuiſſet, etiamſi de puerperio nunquam vel ſomniando cogitaſſet: Unde merito jam ſaepius dubitavi, an corporalis talis inſpectio, ab obſtetricibus imprimis ſolis, ſine Medici periti adjutorio peragenda, ad corpus delicti detegendum multum lucis adlatura ſit? Verum ita jubet trium vocabulorum tyrannus, MOS, quem communis Jctorum turba ſequitur, & a quo recedere pleriq; religioni ſibi ducunt. Pauci alii rectum vident probantqve, ſed, qui ſemel diuturna mora invaluit, morem mutare non poſſunt.

§. VII.

Ex quibus omnibus ſponte conſequitur, ingenti

incer-

incertitudine laborare ea omnia, quae ex ſola corporis puellae ſuſpectae inſpectione de infanticidio ſigna petere ſolent *obſtetrices*, niſi ſimul corpuſculum tenelli infantis non illis quidem ſolis, ſed medicis quoq; atq; chirurgis inſpiciendum offeratur. Neq; tamen hic etiam promiſcue omnia, quae adferri vulgo ſolent, aequalem probandi vim obtinent; Inprimis ſi, ut fieri ſubinde conſuevit, exterior tantum corporis ſuperficies fugitivo & fallaci oculo perluſtretur, non vero interior ſimul, quod fieri tamen decebat, partium atq; viſcerum conſtitutio adcuratiori ſcrutinio ſubjiciatur. Nihil enim ſolemnius eſt cauſarum Patronis, quam *illegalitatis*, ut ſic cum ipſis loquar, coarguere ejusmodi inſpectionem, ſicq; clientum ſuorum patrocinia inde aucupari; Imo experti fuimus, in ſinu ipſos ridere & victoriae partem reputare, ſi medicos inter ſeſe mutuo committere & ad ſententiarum divortia diſponere queant.

§. VIII.

Hujus indolis indicia ſunt, ſi ſtigmata, collum ſugillatum diverſisq; in locis unguibus quaſi vellicatum eſſe obſervetur; Ex quibus quippe omnibus nihil certi inferri & concludi poteſt; Quia laeſiones tales externae violentiam quidem externam denotant, interea tamen, an a matre vel aliunde infanti inductae, an itidem ſua natura lethales ſint nec ne? Dubium & obſcurum relinquitur. Ita enim comparatum eſt cum ſugillatione, quae circa collum tenelli infantis obſervatur, quae quippe haud raro ab arcta conſtrictione, quam funiculus umbilicalis collo

tenelli infantis circumductus induxit, originem ſuam trahit. Stigmata vero hinc inde adparentia non tantum abſolutam lethalitatem non ſemper inferunt, ſed & ſubinde ab aliis cauſis proficiſcuntur, & non infrequenter in epilepticis, apoplecticis & catarcho ſuffocativo denatis animadvertuntur. Eodem modo comparatum eſt cum ſuffuſione ſangvinis circa nares, quam ex violenta earundem compreſſione ortam, atq; hinc infallibile ſuffocationis ſignum eſſe credunt; Qua tamen in re toto iterum die peccatur, niſi alia magis convincentia violentiae exterius a matre illatae τεκμηρια ſimul in ſubſidium vocentur. Nec ipſae quoq; foveae atq; depreſſiones in tenelli foetus calvaria obſervatae matrem abſolute convincunt, quod necem eidem intulerit: Quia tales laeſiones cranio etiam inducuntur in caſu ab alto, ſi ſtando pepererit mulier, & infans capite pronus in ſcamnum, pavimentum vel terram durius illiſerit. Illud vero meretricularum ſubterfugium, infantem ab illis enixum nondum vitalem atq; ſenſu medico legitimum fuiſſe, inſpectione oculari eludi facile poteſt, ſi nempe partus perfectus omnibusq; ſuis partibus abſolutus eſſe deprehendatur, ut ſingulis functionibus rite edendis aptus atq; habilis judicari poſſit. Nec temere credendum eſt ſuſpectis mulieribus, etiamſi foetum jam in utero extinctum eſſe callide praetendant, niſi probatum dederint, excrementa prius ex Utero, quam publicam in lucem prodierit infans, profluxiſſe, lac ſeroſius, tenuius & aquoſius puerperam excreviſſe imo & poſt partum mox denuo diſparuiſſe.

§. IX.

§. IX.

Quarundam inquiſitarum mediis in calamitatibus usque adeo ingenioſa eſt malitia, ut foetum enixum quantocyus ſummovere, terrae mandare ſicq; perpetratum delictum quovis modo occultare adnitantur: Quare contingit nonnunquam, terra erui ejusmodi partum & luſtrandum eo fine objici, non quidem *obſtetricibus*, ſed medicis atq; chirurgis, ut ex ipſius plane ſceleti diſpoſitione atq; habitudine dijudicent, cujusnam aetatis ille fuerit, & an omnem membrorum ſuorum perfectionem atq; maturitatem attigerit, & an proinde ex ejusmodi ſceleti inſpectione contra puellam quandam, puerperii jam olim ſuſpectam *infanticidii* conjectura formari queat? Rem omnem vanam & inutilem eſſe, nemo prudens facile dixerit, niſi qui Anatomiae ac potiſſimum oſteogeniae omnino rudis & ignarus fuerit. Oſſa onim foetus immaturi multis modis differunt ab oſſibus partus perfecti atq; maturi; Qua de re *Theodori Kerkringii* oſteogenia foetuum utiliter admodum conſuli atq; conferri poteſt. Ut non male ſibi proſpiciat *Praetor*, ſi ſubinde ipſa quoq; cadavera & ſceleta partuum terra erutorum oculis medicorum inſpicienda ſubjiciat.

§. X.

Ex quibus omnibus elucet, quo loco Obſtetricum inſpectiones aeq; ac depoſitiones ſuper ejusmodi caſibus habendae ſint? Anne vero ſufficienti peritia inſtructae ſunt, ut de *ſtupro violento* teſtari ac deponere queant? Dubito. Ponamus enim, ſolum ſu-

perare poſſe ſolam diſſentientem, raro tamen hodieq; manifeſta & in ſenſus incurrentia talis violentiae indicia relinquuntur. Rarum quoq; eſt, ex congreſſu tali, utut coacto, ſanguinem effundi, & ſi quam maxime effunderetur, infallibile tamen *ſtupri violenti* indicium non praeberet, quia aliis quoq; de cauſis ejusmodi ſanguinis profluvium ex pudendis muliebribus procedere & poteſt & ſolet.

§. XI.

Longe altioris indaginis res eſt inſpectio ſeu exploratio virginitatis integrae pariter atq; laeſae, *obſtetricibus* inprimis vel aliis mulieribus, pari cum prioribus ignorantia laborantibus, committenda; Ut veterum ſimplicitas deridenda potius quam imitanda ſit, quando indignum & indecorum eſſe judicarunt, imo publica plane lege prohibuerunt, ne ad explorandam puellae cujusdam virginitatem ſive integram ſive violatam medici vel chirurgi admitterentur. Cum vero nihilominus varii emergere poſſint imo ſoleant caſus, quibus, ut virgo inſpiciatur, omnino neceſſarium eſt, v. g. ſi juvencula, quae ob mariti impotentiam devirginari non poſſe queritur, interea tamen illibatam adhuc virginitatem jactitet, ac proinde ex hoc capite divortium quaerat, vel ſi quis juvenis, ſtupri culpam declinaturus, inſpectionem puellae expetat, vel ſi quae foemina ſub conjugii vel dotis amplioris obtinendae ſpe a maſculo quodam ſtupratam ſeſe ipſamet publice in foro denunciet, vel ſi quis Juvenis, decus in dedecore quaerens, impudenter glorietur, ſe hanc vel illam virginem defloraſſe,

eidem-

eidemq; non levem ignominiae notam eo ipſo inurat &c. Hinc tales ſimilesq; alii caſus inſpectionem puellae omnino neceſſariam reddunt, ut, an virginitas ejus adhucdum genuina vel corrupta ſit, exploretur. Quid vero hic eſt conſilii? Licebitne rem tam ſanctam, qualis eſt puellarum virginitas, lubrico obſtetricum judicio exponere? An vero ſatius eſt, inſpectioni medicorum & chirurgorum eandem concredere? Sic omnino videtur; Quanquam prudentiores illorum ejusmodi inſpectiones & factas deſuper depoſitiones plerumq; modeſte declinare ſoleant: Quia ſatis norunt, difficillimum eſſe negotium, virginem a deflorata rite diſcernere, cum virginitatis, quae vulgo adferuntur, indicia admodum ſint ambigua, dubia, incerta & aequivoca: Id quod praeter ſanam rationem ipſa quoq; confirmat multiplex experientia. Ita v. g. ut unius ſaltem exempli inductionem faciam, *Horatius Augenius* mentionem injicit talis caſus, ubi puella quaedam juvencula a ſex obſtetricibus probatae famae pariter ac peritiae inſpecta & virgo intaminata fuit habita, quae tamen ſeptem antea menſibus puerum enixa erat. Unde quam lubrica ſint & errorum plena ejusmodi judicia, oppido perſpicere licet.

§. XII.

Quid vero? Anne ideo puellarum virginitas eſt non ens, dulce ſomnium, chymaera? An, qui cum corrupta ac deflorata rem habuit, eodem loco habendus eſt cum eo, qui cum integra & intemerata dulce iniit connubium? Abſit. Dixi tantum, virginitatem puellarum rem eſſe difficillimae inſpectionis ac ſubinde omnem oculorum aciem ſuperantem. Id quod ne

gratis videar adſeruiſſe, paucas tantum dubitandi rationes in medium producam. Praeterquam autem, quod multis adhuc dubiis implicitum ſit negotium, an virginitas in hymene quodam, clauſtro virginali praetenſo, an vero in naturali quadam vaginae coanguſtatione conſiſtat; Non minus id quoq; incertum eſt, quod de rubore quodam in pudendis ſtupratorum obſervabili, de amplitudine item vaginae uterinae rugarumq; in illa obliteratione delirae anus proferunt. Adde, quod pudendorum muliebrium amplitudo aeq; ac anguſtia artificialibus mediis excitari queat, qualia pudenda artificia maleferiatas inter Mulieres hodie prohdolor in illa morum perverſitate & ἀσωτία non ſunt ignota.

§. XIII.

Si autem, uti ex dictis patet, tam lubrica eſt & incerta *obſtetricum* peritia in exploranda integritate vel corruptione virginitatis, ut, experientia teſte, ſaepius defloratas declaraverint virgines & virgines econtra habuerint pro ſtupratis, eoq; ipſo famam ac vitam ejusmodi perſonarum ſummum in diſcrimen adduxerint: Sponte conſequitur, illis rem tanti momenti tuto committi non poſſe. Jam ulterius diſquirendum nobis eſt, annon ſtatus ſaltem *Atretarum* ſeu *imperforatarum* explorandus obſtetricibus tuto demandari queat? Ratio vero dubitandi eſt, quia aniculae iſtae ſemel deliramentis illis faſcinari ſeſe permiſerunt, quaſi nempe in omni foemina ſecundum naturam hymen ſeu membrana quaedam, in nonnullis tenuior, in nonnullis vero craſſior atq; durior, clauſtro virgineo ita praetenſa ſit, ut nullus unquam ingreſſus ad vir-

ginem maſculo concedatur, niſi membrana iſta diſrupta: Hinc ergo difficulter ipſis perſuaderi poteſt, ejusmodi membranam, tanquam operimentum virginitatis & pudicitiae cuſtodem publicum non reperiri, niſi in *ſtatu praeter naturam*, quaeq; proinde chirurgicis inſtrumentis pertundenda vel removenda ſit, ut tam urinae & menſium fluxui exitus procuretur, quam etiam cohabitationi viri apta reddatur talis foemina. Cum autem ſtatum tam *ordinarium* & *naturalem*, quam *extraordinarium* & *praeternaturalem* longe rectius explorare ac de eodem renunciare poſſint medici atq; Chirurgi, quam obſtetrices: Manifeſtum eſt, *illis* prae *his* inſpectionis ac depoſitionis (abſit ſiniſtra interpretatio verbo) ſpartam longe conſultius committi poſſe.

§. XIV.

Aſt forte feliciores erunt *obſtetrices* in diſcernendo *ſexu dubio*, androgynis & hermaphroditis; Optandum foret, rem ita ſeſe habere: Jam vero multoties illas hic etiam a vero aberraſſe, inter multa alia, quae hinc inde leguntur, illud a *Bohnio* in Tract. de dupl. Medic. offic. Cap. III. pag. 569. recens allegatum exemplum efficaciter comprobabit. *Octennium*, inquit laudatus Auctor, *eſt elapſum, cum praeſens mihi ſiſteretur perſona viginti trium annorum nata Oſchazii Miſnenſium, Patre Chriſtophoro* Bertram / *in & à nativitate ſua foeminei ſexus credita ac pronunciata, hinc in ſacro Baptiſmo Magdalenae nomine ſignata, quae nunc vero Chriſtophorum ſe vocat & vocari mavult, veſtitu etiam virili incedit, eam, quod mixti ſexus videretur, ut inſpicerem. Quod dum faciebam, praeſentibus aliis, nullam plane in hujus hominis genitalibus ullove ejus membro foeminae deprehendi notam, contra virilem conformationem quam conſpicuam; Sub imperfectione nihilominus ejusmodi, qua ſe virum in matrimonio praeſtare poſſe, merito ambigebam.* Talis interim ambiguitas imo potius error cum in dijudicando vero ſeu praepollente ſexu variis quoq; criminibus perpetran-

petrandis occaſionem praebere poſſit ejusmodi androgonis; Hinc iterum conſultius eſt, inſpectionem eorum demandare medicis.

§. XV.

Plura alia, quae vi *conſtitutionis Carolinae* obſtetricibus aliiſq; mulieribus & inſpicienda & dijudicanda permitti ſolent, ſilentio lubens hic praetereo aliiq; commodiori occaſioni ſervo, adjiciens pro more pauca adhuc *Conſectaria*, quae ex hactenus dictis evidenter fluunt, uti ſunt:

I.) Obſtetricem ſolam vel aliam quamcunq; mulierem honeſtam de *praeſenti* graviditate ſuſpectae cujusdam perſonae teſtimonium certum perhibere non poſſe. Utut enim honeſta fuerit mulier, utut ſuam quoq; depoſitionem juramento confirmaverit: Nullum tamen inquiſitae praejudicium naſci inde poterit, ſi interea rudis taliumq; rerum, quarum plenam poſſidere notitiam deberet, imperita fuerit.

II.) Inſpectionem mulieris de puerperio ſuſpectae fruſtraneam eſſe atq; inutilem, niſi paucis poſt partum diebus aut primis ſaltem puerperii temporibus inſtituatur: Quia lochia in multis, octiduo elapſo, ſubſiſtunt, lactis etiam adfluxus ad mammas ejusdemq; ſecretio, intercepta illius excretione, evaneſcit. Cui accedit, lac paucos intra dies artificialiter ita repelli poſſe, ut mammae reddantur flaccidae lactiſq; expertes, uti Practici toto die experiuntur.

III.) Confeſſionem, territione vel tortura ab inquiſita expreſſam, nihil probare: Id quod exemplo ſuo confirmat *Sabina Lindneria*, quae furti rea in loco torturae ultro confeſſa eſt, ſe ante annum foetum vivum eſſe enixam illumq; interfeciſſe; Id quod tamen Judices, facta licet ſolerti *corporis delicti* perquiſitione, falſum eſſe deprehenderunt.

IV.) Pleraque, quae de notis virginitatis commentatus eſt *Severinus Pinaeus*, aut aperte falſa aut ſaltem dubia, incerta & aequivoca eſſe.

(O)

SPECIMEN SEXTUM
MEDICINAE FORENSIS.

Praefatio.

ACriter quidem praecedentibus ſeculis diſputationis ſerram inter ſeſe mutuo reciprocarunt Philoſophi, Medici atq; Theologi de modo propagationis animae rationalis, deq; foetus in utero materno latentis vitalitate & genuino animationis, ſi ſic loqui liceat, tempore definiendo: Dolemus tamen merito, controverſiam iſtam in hunc usq; diem non modo compoſitam nondum eſſe, ſed Juriſperitos, quos in delictis hominum recte determinandis & juſtis poenis iisdem adcommodandis certiori fun-

damento niti decebat, in hypotheſibus tam phyſicis quam medicis, non dubiis ſaltem & incertis, ſed aperte falſis admittendis aeque hodie, ac olim, faciles eſſe, imo, quod in negotio famam vitamq; hominum concernente, fieri omnium minime oportebat, ſuas iisdem deciſiones ſuperſtruere. Crediderunt nempe priſcorum temporum Philoſophi, quorum deinde opinionem, utut dubiam atq; incertam, adoptarunt JCti, animam rationalem tenello embryonis corpuſculo non ſtatim a conceptione communicari, ſed demum, organis corporis ſufficienter elaboratis, eidem infundi; Atq; adeo aliam foetus inanimati, *aliam* animati *rationem eſſe habendam; Sive, ut ab aliis exprimi ſolet: Eo in caſu, ubi de abortu malitioſe doloſeq; procurato agitur,* magis ad hominem perfectum quam perficiendum (*quae quippe perfectio non tam in forma ſeu anima, tanquam ſubſtantia immateriali, quaeq; quoad ſui perfectionem nullam diviſibilitatem admitteret, quam potius in membris ſive organis corporeis conſiſteret & circa medium geſtationis tempus* PROBABILITER *contingeret*) *eſſe reſpiciendum: Hinc* Carpzovius, *Criminalium Scriptorum facile princeps, quem deinde complures alii Juris Criminalis Doctores ſequuti ſunt, partus diſtinctionem*

nem in inanimatum & animatum *pro fundamento totius deciſionis ſupponens, ſic ſtatuit: Eum ſcilicet, qui* foetum animatum *frivole abegerit, poena ordinaria* Legis Corneliae de Sicariis *plectendum; Eum vero, qui* inanimatum *ſeu* non vitalem *doloſe ejecerit, poena tantum extraordinaria, v. g. fuſtigatione, relegatione, vel, pro re nata, mitiori adficiendum eſſe; Quae omnia iis plane ſunt conformia, quae ſancivit* Conſtitutio Carolina *Artic. CXXXIII. hiſce verbis: Qui virtute cibi aut potionis mulieri gravidae* partum vitalem *abegerit, tum, ſi dolo malo id factum fuerit, vir tanquam homicida gladio; Mulier vero ſuffocatione in aquis puniatur: Quod ſi vero foetus abactus* nondum fuerit vitalis, *Judices conſilium a Juriſperitis requirant. Nos equidem legis ipſius auctoritatem ſuo loco relinquimus, illud vero diſſimulare neq; poſſumus neq; debemus, falſiſſimam ejus rationem hucusq; Judices allegaſſe, nempe miſeram illam diſtinctionem foetus in* animatum *ſeu* vitalem & inanimatum *ſeu* non vitalem. *Si autem ratio legis falſa aut ſuſpectae ſaltem veritatis eſt, de ejusdem juſtitia quoq; ſive aequitate dubitare omni jure licet. Proinde, ne quicquam habeant amplius leves meretriculae, quo frivolos*

conatus, foetum praemature utero exturbandi, palliare vel obvelare quoquo modo poſſint: Hinc paucis pagellis probatum dabimus: Animationem foetus ipſi conceptioni eſſe contemporaneam; *Sive:* Foetum a primo conceptionis ſuae momento *animatum*, eſſe atq; *vitalem atq; adeo verum & perfectum hominem, proindeq; virum vel foeminam, qui vel quae, quocunq; graviditatis tempore, abortum moverit, poena ordinaria* indifferenter *dignum vel dignam eſſe, dummodo de vera poculi abortivi efficacia recte conſtiterit; Quod, dum probare contendimus, divinum auxilium devotis precibus imploramus.*

TRANS-SUMPTIO.

Artic. CXXXIII. Conſtit. Criminal. Carolin.

So jemand einem Weibesbild durch Bezwang/ Eſſen oder Trincken ein lebendig Kind abtreibt : : : : ſo ſolch Ubel fürſetzlicher und boßhafftiger Weiſe geſchicht/ ſoll der Mann mit dem Schwerdt als ein Todtſchläger/ und die Frau/ ſo ſie es auch an ihr ſelbſt thäte/ ertränckt

tränckt oder ſonſt zum Tode geſtrafft werden. So aber ein Kind/ das noch nicht lebendig wäre/ von ein Weibsbilde getrieben wurde/ ſollen die Urtheiler der Straff halber bey den Rechts-Verſtändigen/ oder ſonſt/ wie zu End dieſer Ordnung gemeldt/ Raths pflegen.

EXPOSITIO.

§. 1.

ABortionis vocabulo denotamus praematuram ſeu intempeſtivam foetus humani, ſive *vivi*, ſive *mortui* ex utero excluſionem vel ejectionem, ante terminum partus ordinarium atq; legitimum, quocunque graviditatis tempore, a cauſis ſive *fortuitis* & *occaſionalibus* ſive *nefariis artificiis* doloſe excitatam. *Intempeſtivam* dicimus iſtam foetus excluſionem, partim, ut a *partu naturali*, qui quippe ſecundum conſuetum naturae ordinem finem *noni* vel initium *decimi menſis* ſolemnisſime obſervare ſolet, partim etiam a *partu praematuro* illam diſtinguamus, cum *partus ſeptimeſtris* & *octimeſtris* ſit quidem *praematurus*, non tamen ſtricto ſenſu *abortivus* dicendus; Quia tales partus non *vivi* modo prodeunt, ſed & *vitales* ſunt,

i. e. ſufficientem corporis organici conformationem acceperunt, ut, teſte experientia, in vivis quoque permanere queant: Cum e contra *foetus abortivus*, qui a primo conceptionis tempore ad ſexti menſis finem contingere poteſt, *vivus* quidem in lucem prodire, *vitalis* tamen permanere nunquam ſoleat.

§. 2.

Sicuti autem *abortui fortuito* praeter plethoram in primiparis, fluxui menſium largiori extra graviditatis ſtatum adſuetis, ictus, lapſus, vehemens iracundia, inopinatus terror, ligatura abdominis ſtrictior, enormis uteri haemorrhagia, ſaltatio, vectura, elevatio magnorum ponderum, praecedens abortus aliaeque cauſſae plures occaſionem ſubminiſtrant: Ita *doloſus* variis nefariis artibus, quas malitia hominum excogitavit, excitari poteſt, v. g. ſaltu, quale conſilium *Hippocrates* pſaltriae cuidam compreſſae dediſſe putatur, ut nempe in terram aliquoties deſiliret atq; ita genituram utero ejiceret. Spectant huc etiam purgantia δραστικότερα, clyſteres acriores & ſtimulantes, inprimis emmenagoga varia, quae ſub praetextu menſium obſtructorum revocandorum a Medicis ſubinde foeminae ſuſpectae repetere conſueverunt.

§. 3.

Atque de tali *abortu nefario* hic potisſimum nobis ſermo eſt. Procuratur is vel a *gravida ipſa*, ut crimen fornicationis a ſe amoliatur, id quod diſerta *Conſtitutionis*

nis Carolinae verba innuunt: So ſie es an ihr ſelbſt thät-te; Vel conſilio & adminiculo vetularum utuntur meretriculae, quae ſi *poculum abortionis* (quo nomine omne medicamentum, foetus abigendi energia pollens, intelligitur) ipſae praeparaverint & gravidae propinaverint, ejusdem criminis reas ſeſe faciunt; Subinde is, qui foeminam impraegnavit, vel vi quadam cogit vel blanditiis eandem inducit, ut foetum, quem furtivis nuper amoribus conceperat, malitioſe exturbet, ut vel ignominiam vel fornicationis mulctam uterq; declinet; Imo nonnunquam plane Medici, Chirurgi, & obſtetrices minus conſcientioſae & lucro inhoneſto inhiantes induci ſeſe patiuntur, ut mulieribus ſuſpectis medicamenta, foetui abigendo dicata, exhibeant, eadem poena digni, niſi forte inſcitia vel ignorantia peccaverint, vel blanditiis & aſtutia foeminarum decipi ſeſe paſſi fuerint. Nec deniq; excludendam hic eſſe exiſtimarem foeminam honeſtam, juſto in matrimonio viventem, dolores interim partus metuentem, vel numeroſam prolem odio habentem, vel quamvis aliam ob cauſam *doloſè* ſibi ipſi abortum moventem; Quales Caſus, licet forte adeo frequentes non ſint, minimum dabiles eſſe, medici, Gynaeceorum ſacra perveſtigantes, inviti quandoq; experiuntur.

§. 4.

Quicunq; igitur horum mulieri gravidae malitioſe ac dedita opera vel *poculum abortionis* exhibuerit, vel mediantibus eſculentis ac potulentis quicquam

quam ei praebuerit, ut inde abortierit, is, ſi foetus abactus fuerit *vitalis* & *animatus*, is, inquam, ſtatuente ſic *Conſtitutione Carolina*, ſi vir fuerit, tanquam homicida gladio, ſi vero foemina, ſuffocatione in aquis puniatur: Econtra *inanimatus* & *non vitalis* ſi fuerit foetus abactus, eo caſu poenam tantum extraordinariam, v. g. fuſtigationem vel relegationem locum obtinere, *Juris Criminalis* Doctores exiſtimant: Cum quibus tamen *Juris Civilis* interpretea non quidem omnes, nonnulli tamen, non parir ſentiunt, quos inter ſuum quoq; nomen profitetur *Menochius*, qui nullam diſtinctionis receptae intes foetum *animatum* & *inanimatum*, *vitalem* & *non vitalem* rationem habendo, indiſcriminatim relegatione vel fuſtigatione eos, qui foetum *doloſe* abegerint, vult eſſe puniendos. Idem cenſuit *Ulpianus*, *mulierem* nempe, *ſi viſceribus ſuis vim intuliſſe conſtiterit, quo foetum abigeret, a Praeſide provinciæ in exilium exigendam eſſe.* A quorum tamen ſententia recedit *Paulus* JC. ſeverius quippe in eos, qui abortionis poculum exhibuerint, animadvertendum ratus; *Licet* enim *dolo malo* id *non faciant, tamen quia mali exempli res ſit, honeſtiores in inſulam, amiſſa parte bonorum, relegari, ſin mulier aut homo eo perierit, ſummo ſupplicio adfici* decrevit. Simpliciter vero *infantis necandi piaculum aggreſſos ſupplicio capitali puniendos* Valentinianus, Valens & Gratianus ſtatuerunt. In foro receptum eſt, ut, ſi quis partum *vitalem* & *animatum* frivole, data opera & doloſe abegerit, ultimo ſupplicio adficiatur; Si vero *inanimatum* tantum ſeu *nondum vitalem* exturbaverit,

poenam

poenam ſolummodo extraordinariam, conſilio Juriſperitorum definiendam, incurrat. Cumq; genuinum illud *animationis* tempus a nemine ſive *Philoſophorum* ſive *Medicorum* hucusq; examusſim determinari potuerit; Hinc dimidium geſtationis, arbitrio magis, quam ulla ſolida ratione id ſuadente, electum eſt; Quam etiam ſententiam, in *Conſtitutionibus nonnullorum Principum provincialibus* ſolemniter ſancitam, in praxi obſervari videmus.

§. 5.

Verum enim vero id potisſimum eſt, quod multiplicem dubitandi anſam nobis ſubminiſtravit; Ubi tamen minime omnium intentio noſtra eſt, ſanctitatem legis ullo modo infringendi, quod quippe privatum hominem non decere, probe ſcio: De ratione tamen legis medicum ambigere, non modo licitum eſt, ſed & omnino neceſſarium, niſi forte malitiae hominum patrocinari vel horrendorum criminum reum ſeſe facere malit. Et quî quaeſo JCtorum quam plurimi, qui *vitalitatem* foetus mox a primo conceptionis momento cum Philoſophis & Medicis ſanioribus repetere non dubitant, aliquando coram ſeverisſimo tribunali Divino vel in foro ſaltem conſcientiae ſeſe excuſabunt, quod vitalitatis hujus ſigna tam ſollicite requirant, &, cum ante dimidium geſtationis tempus detegere illa difficulter posſint, veritate, quam recte modo agnoverant, relicta, communem & in foro receptam ſententiam amplectantur, & extraordinariam tantum poenam

iis decernant, qui ante quintum menſem abortum gravidae concitaverint. Diſtinguendum enim hic eſt inter motus foetus craſſos, locales & voluntarios, & ſubtiles atq; inſenſiles, quorum illos ante dimidium geſtationis tempus nullo craſſo ſenſu animadverti poſſe, ambabus ulnis concedimus; Hos vero a primo conceptionis momento adeſſe & foetui congenerari, inde diſpaleſcit, quod ſine illis neq; corpuſculum foetus formari, neq; nutriri, neq; augeri, & ad conformationis ſuae ακμην pertingere unquam poſſet; Simul quoq; eundem *animatum* eſſe oportet, quia vita ſine anima ſubſiſtere nequit; Foetum enim *inanimatum* dicere velle *vitalem*, eſt contradictoria loqui; Quia foetus *inanimatus* non eſt *vitalis*, ſed verum potius cadaver.

§. 6.

Quantacunq; vero luce radient haec omnia; Non praetendimus tamen a quoquam, ut, niſi ſufficientibus argumentis & rationibus ſententiam noſtram corroboraverimus, fides eidem adhibeatur; Quare, ut demonſtrativa hic iterum methodo procedamus, ſequentia praeſupponimus:

Primum eſt: *Unumquodq; vivens animale pollere energia ſeu virtute ſpeciem ſuam mediante generatione multiplicandi*; Etquidem vi benedictionis primaevae: *Creſcite & multiplicamini.*

Quae non modo ad omne viventium animantium genus, ſed & ſecundum eminentiam ad hominem

minem ſeſe extendit. Quemadmodum enim brutum quodvis virtutis ſeminalis ope ſimilem *ſpeciem animatam* i. e. machinam non modo varia diverſarum partium atq; organorum conformatione ſed & principio quodam agente, movente, impellente, uno verbo vivificante inſtructam gignere videmus, cui DEUS animam non immediate infundit, ſed quae ex corpore animato generantis in corpus generati traducitur ſeu per traducem propagatur: Ita nihil impedit, quo minus anima quoq; humana ex corpore animato Parentum in liberos eodem modo per generationem producatur. De conſequentiis, quae ex perverſa ſententiae hujus interpretatione elici forte poſſent, eo minus ſolliciti ſumus, quo certius eſt, primaevae benedictioni eam undique eſſe conformem.

Alterum eſt: *Iſtam energiam propagandi ſpeciem ſuam non de ſolo corpore, ſed de principio rationali ſeu anima ſimul, quae quippe animatium viventium nulli denegan da eſt, intelligi debere.* Admodum enim imperfecta imo generatione brutorum inferior foret hominum generatio, ſi ſolum tantum corpus, non animam rationalem generando Parentes communicarent liberis ſuis. Uti vero brutum generat, non partem animalis, ſed totum animal, ſicuti apud omnes in confeſſo eſt: Ita quoq; homo generat totum hominem, prout corpore organico & anima rationali conſtat. Quod vero brutis qualecunq; principium rationis compos denegandum non ſit, id *Galenus* jam dudum agnovit, qui *Oratione ſuaſoria ad artes* diſertis

verbis dixit: *Omne quidem genus animantium ratiocinii particeps eſſe, etiam illud, quod irrationale dicitur; Hominem tamen ratione præſtantiorem eſſe.* Ut taceam, concinnum omnium actionum, quae a brutis proficiſcuntur, ordinem atq; ſymmetriam idem efficaciter evincere.

Tertium eſt: *Illud ipſum tanto eminentius de homine, viventium omnium perfectisſimo, praedicari poſſe, Parentes nempe generando non corpus tantum, ſed ipſam quoq; animam propagare & in liberos traducere.* Alias enim pars tantum deterior & ignobilior hominis, nempe corpus, res bruta, iners, otioſa & ad agendum inefficax, non totus homo generando propagaretur. Quid vero interea fieret cum corpuſculo tali bruto embryonis in utero latentis, ſi primis conceptionis diebus principio activo, rationali deſtitueretur? Quidnam rudimenta corporis humani, jam antea in ovulo muliebri delineata explicaret? Quid organa varia formaret uſibusq; animae in poſterum adcommodaret? Nimirum anima ipſa eſt, quae ſtatim a primo conceptionis momento corpuſculo foetus a Parentibus una cum ſemine communicatur; Haec eſt, quae nutritionis & augmentationis primordialis opus dirigit & adminiſtrat; Haec eſt, quae tenellam machinulam format variisq; organis inſtruit, ut deinde adultiora facta majusq; robur nacta functionibus omnibus, vitalibus aeq; ac animalibus recte inſervire queant.

Quar-

Quartum eſt: *Iſtam tamen propagationem de unoquoque eo, quo decet, modo intelligendam eſſe, i. e. corpus, quod materiale, extenſum atq; corporeum eſt, corporeo, animam vero, quae incorporea & ſpiritualis eſt, modo immateriali atq; adeo indoli utriusq; convenienter, a Parentibus in liberos traduci.* Ubi nemo difficultatem vel dubium nobis moveat de *modo concipiendi*, qui ſi vel maxime rationi humanae imperſcrutabilis eſſet, ideo tamen rem ipſam negare non liceret; Quia non modo ab *ignoratione modi ad negationem ipſius rei non valet conſequentia*, ſed & haud paucae talium rerum inſtantiae dari poſſunt, quae revera ſunt & fiunt, ſed quarum modus agendi adaequate non concipitur.

Quintum, quod tamen ex praecedentibus manifeſte ſequitur, *praeſuppoſitum* hoc eſt: *Animationem foetus ipſi conceptioni eſſe contemporaneam*, neq; tempus cogitari poſſe, quo foetus inanimatus, i. e. ſine anima exiſtere queat: Quia per *Praeſuppoſitum III. Parentes generando non corpus tantum, ſed ipſam quoq; animam in liberos traducunt.* Proinde ſua ſponte corruit *primo* fundamentum diſtinctionis inter foetum *animatum* ſeu *vitalem*, & *inanimatum* ſeu non *vitalem*. Deinde corruunt quoq; vanae Doctorum diſceptationes de vero *animationis* ſeu *vitalitatis* foetus tempore, quod nonnulli cum *Fieno* in tertium, alii cum *Mercuriali* in ſeptimum, iterumq; alii cum *Hippocrate* & *Galeno*, & quidem in maſculis in trigeſimum, in foemellis vero in quadrageſimum ſecundum diem majori temeritate quam rationum vi rejiciunt; Nonnullis vero aliis dimidium geſtationis tempus commodius videtur,

tur, quo anima rationalis corpori embryonis communicetur, cum eo temporis articulo non modo omnium partium & organororm conformatio ſit abſoluta & perfecta, ſed & motuum localium indicia quaedam foetus prodere incipiat. A quorum tamen omnium ſententia recedit *Zacchias*, qui *Quaeſtionum Medico-Legalium Libro IX. Tit. 1. Quaeſtione poſtrema* fuſe demonſtrat, non ſolum foetum humanum nulla anima, niſi rationali ullo in tempore dotari, ſed & recipere eandem in primo ſtatim conceptionis momento; Ex quo fundamento confutat etiam ſententiam *Ariſtotelis*, qui hominem primo *vegetativa*, deinde *ſenſitiva* ac poſtremo *rationali* inſtrui & animari docuit. Neq; nos, ſi ingenue fateri, quod res eſt, liceat, ullam ſolidam invenire potuimus rationem, quae nos moverit, quo minus concludamus, *animationem foetus ab ejusdem conceptione eſſe inſeparabilem*, ſive, ut *praeſuppoſitum* loquitur, *animationem ipſi conceptioni contemporaneam eſſe.*

Sextum praeſuppoſitum eſt: *Perfectum deſtrui hominem verumq; committi homicidium, quocunque quis tempore a conceptione, quae* ſecundum praecedens praeſuppoſitum *ab animatione inſeparabilis eſt, abortum nefarium procuraverit:* Nihil enim hic juvat diſtinguere inter foetum adultiorem, provectioremq; & juniorem tenerioremq;; Quia par infertur injuria priori aeque ac poſteriori, pariq; ratione committitur delictum capitale, ſive infantem bimulum ſive ſenem ſeptuagenarium interfeceris:

feceris: Unde eidem poenae ſubjiciendus, qui altero a conceptione die, quam qui poſt quadrageſimum vel dimidium geſtationis tempus abortum malitioſe cauſſatus fuerit: Quia foetus, qui a primo conceptionis momento *animatus* eſt atq; *vitalis*, jure optimo perfectus homo, anima & corpore inſtructus, dici meretur, imo per leges civiles, quotiens de commodo ipſius agitur, pro jam nato & homine habetur, cui eadem competunt jura atq; privilegia, quibus homo natus gaudet atq; fruitur.

Poſtremum, quod evidenti nexu ex prioribus conſequitur, *praeſuppoſitum* eſt: *Pesſime JCtos*, illos praecipue, qui *Traducianorum* ſectae addicti animae cum corpore congenerationem credunt atq; propugnant, *poenam tantum extraordinariam illis decernere, qui foetum* (ex hypotheſi) *inanimatum abegerint*, cum non modo (vi praeſuppoſiti V) diſtinctio foetus in *animatum* ſeu *vitalem*, & *inanimatum* ſeu *non vitalem*, vana ſit atq; inutilis, ſed & verum committat homicidium, qui quocunq; graviditatis tempore abortum frivole & malitioſe concitaverit: Unde ejusdem procul dubio poenae reum ſeſe faciet, quam ille incurrit, qui foetum (ex hypotheſi) *animatum* & *vitalem* exturbaverit.

§. 7.

Nexus, imo nervus totius demonſtrationis hic eſt: Si anima rationalis, quae (per *Praeſuppoſitum I.*) vi pollet ſemetipſam multiplicandi, generando a Parentibus (per *Praeſupp. III.*) traducatur in

in liberos, atq; adeo (per *Praeſupp. V.*) *animatio* & *vitalitas* foetus ejusdem conceptioni ſit contemporanea, actibus formationis & explicationis partium atq; organorum, nutritionis & augmentationis primordialis id abunde teſtantibus: Sequitur, verum atq; perfectum committi homicidium, ultimo ſemper ſupplicio adficiendum, quocunq; poſt factam conceptionem tempore abortus nefarie cieatur; Id Q. E. D.

§. 8

Haec vero, cum neutiquam nudis conjecturis, incertis vel dubiis hypotheſibus aut probabili ſaltem nexu, ſed firma ac ſolida demonſtratione nitantur: Officium JCrorum erit, mature ea omnia ac ſingula ponderare, atq;, ne nefario *abortionis* crimini laxiori poenae irrogatione patrocinentur, ſollicite cavere. Nos interim ex dictis, pauca adhuc Conſectaria elicimus:

I.) Si *vitalitas* foetus ab ejusdem conceptione eſt inſeparabilis, ſequitur, ſupervacaneum & irritum eſſe, tanta cum ſollicitudine in terminum *animationis* poſt factam conceptionem inquirere; Quod quippe ſcrutinium tamdiu ſaltem inutile eſt, quamdiu controverſia iſta conſopita non fuerit: *An anima rationalis per traducem propagetur, an vero immediate a DEO creata corpuſculo embryonis poſt factam organorum omnium formationem infundatur?* Quam tamen litem compoſitam tandem iri, vix eſt, quod ſperemus.

II.) Si

II.) Si partus mox a primo conceptionis momento *animatus* eſt atq; *vitalis*, ſponte quoq; conſequitur, inutilem aut ſaltem minus neceſſariam eſſe inſpectionem corpuſculi violenter & nefarie per abortum abacti, an maturus, perfectus atq; vitalis fuerit nec ne? Utut enim partus ejectus ſubtiliora forte ſenſibus offerret ſtamina, non minus tamen *animatus* & *vitalis* erit illo, cujus organa poſt quintum vel ſextum menſem perfectius formata oculos incurrunt.

III.) Nihil quoq; impedit, quo minus foetus, uteri ergaſtulo adhuc concluſus, verus homo dici mereatur, & cui proinde eadem jura atq; commoda competunt, quae natis leges indulſerunt.

IV.) Cumq; anima, nempe rationalis, ſola ſufficiat, omnibus actibus, animalibus pariter ac vitalibus ſuo in corpore organico inſtruendis, regendis ac dirigendis, *Williſium* cum ſua diſtinctione inter *animam rationalem*, & *brutam* ſeu *corpoream* valere jubemus.

V.) Cum inſuper de *nefaria abortus procuratione* hic ubiq; ſermo nobis ſit: Patet quoq;, in eum, qui mulierem gravidam, ſi ignoraverit, praegnantem illam eſſe, percuſſerit, ut abortiat, neq; tamen percuſſor abortum temere ciendi animum habuerit, mitiorem poenam decer-

nendam eſſe; Quorſum pertinet Textus Sacer Exod. Cap. XXI. v. 22.

VI.) Non minus clare ex praemisſis conſequitur: Conſtare ante omnia debere de vera virtute & efficacia *poculi abortivi*; Quia multa vulgo *abortum* procurare dicuntur, quae tali tamen energia deſtituuntur. Quare prius ſemper, quam ſententia formetur, conſulendi ſunt medici, quorum eſt, judicare atq; deponere, an medicamentum propinatum in hoc vel illo individuo foetum praemature abigere potuerit nec ne? Ubi circumſtantiae aetatis, temperamenti, ſenſibilitatis, abortus praecedentis, plethorae aliaeq; tales perite ſimul attendendae & conſiderandae ſunt.

VII.) Eadem evidentia inde fluit: Nimiam illam promptitudinem atq; facilitatem in adoptandis hypotheſibus ſive phyſicis ſive medicis, dubiis inprimis atq; incertis, iisdemq; ad facta hominum adplicandis, ſedulo vitandam eſſe; Ejus indolis hypotheſis eſt, ſi credatur, animam rationalem corpuſculo tenello embryonis non prius infundi, quam omnibus organis perfecte elaboratis, i. e. poſt dimidium geſtationis tempus; Unde alius enaſcitur error, ante illud tempus anima foetum deſtitui ſive *inanimatum* ſeu *non vitalem* exiſtere: Qui longe graviori & practico JCtorum errori originem dedit, quando

nempe

nempe foetus, quem ante illud tempus ex falſa hypotheſi *inanimatum* eſſe credebant, violentam atq; temerariam exturbationem non ultimo ſupplicio, ſed poena tantum extraordinaria adficiendam eſſe decreverunt.

VIII.) Admiſſa ſententia *Traducianorum*, barbare ita dictorum, de propagatione animae rationalis mediante ſemine, agnoſcuntur facile errores *Aegyptiorum*, qui certum animarum numerum ſtatuerunt, quas ex uno corpore mortuo in aliud tranſire crediderunt. A quibus non multum recedunt *Pythagorei*, qui μετεμψυχωσιν ſeu migrationem animarum ex corporibus in corpora admiſerunt, imo & *Origenis* ejusdemq; aſſeclarum, qui omnes animas ſimul creatas eſſe & certo quodam in theſauro contineri erronee ſuſtinuerunt; Imo & *Infuſianorum*, qui animas a DEO creari & foetui immediate immitti ſeu infundi credidere, licet in termino *infuſionis* determinando mire iterum inter ſeſe mutuo diſcrepent, aliis in ipſum generationis momentum, aliis in tertium diem, aliis in quartum vel quintum menſem illud rejicientibus.

IX.) Fruſtra quoq; ſunt, qui animae rationalis praeſentiam ex motibus foetus localibus demum aeſtimant, cum formatio, nutritio, augmentatio, ſenſus & vita, quae omnia mox a primis conceptionis diebus exerere ſeſe incipiunt,

abunde praeſentiam animae rationalis edoceant, niſi forte cum Mechanicis corpus humanum in puram quandam machinam ſeu automa convertere malis.

X.) Deniq; non multum reformidandum eſt brutum fulmen, quod ex praeſcripto D. *Thomae* in *Traducianos* evibravit *Paulus Zacchias*, qui eos haereticae pravitatis inſimulare non dubitat; Aliter forte ſenſurus, & contrariam ſententiam defenſurus, ſi D. *Thomam*, quem Sanctum & piisſimum Doctorem vocat, hac in parte praeeuntem habuiſſet.

SPECI-

SPECIMEN SEPTIMUM.
MEDICINAE FORENSIS.

Praefatio.

QUotieſcunq; JCtos de ſtupro violento *ſermocinantes audivi, toties, fabulam ab ipſis enarrari, tacite mecum cogitavi. In ea enim probdolor tempora incidimus, quibus foedae carnis voluptati ea impudentia litare ſolent homines, ut tantum abſit, foemellas ullam juſtam de vi pudicitiae ſuae illata cauſam conquerendi praetendere poſſe, ut potius maſculi, qui nuper demum pubertatis annos attigerant, tam a clandeſtinis illarum illecebris, quam aperta plane vi vix amplius immunes praeſtare ſeſe posſint. Quanquam enim non facile crediderim, repertum iri Juvenem, qui ad venerem*

illicitam a laſciva muliere ſollicitatus, veſte ſua in manu Potipharae *relicta, fugiens foras ſit egreſſurus: Eſt tamen vicisſim longe credibilius, quam plurimas cum* Potiphara *in* Joſephum *oculos ſuos ſublaturas eidemq; dicturas eſſe:* Concumbe mecum. *Difficulter namque hactenus perſuaderi mihi paſſus ſum, ad eum impudentiae gradum virum Juvenem unquam perventurum, ut foeminae honeſtae turpe, quod animo volvit ac revolvit, negotium vel geſtibus ſaltem declarare auſit, niſi illa oculorum motitationibus, impudicis verbis ac factis internum ſenſum atq; conſenſum manifeſte prodat: Ut adeo, quae meretrix evaſit, ſua utplurimum culpa talem evaſiſſe, haud abs ratione conjicere liceat. Ut parum abfuerit, quin* ſtuprum violentum *jam ab aliquo usq; tempore chymaeris* & Non Entibus *adnumeraverim, niſi tam ipſius* Conſtitutionis Criminalis Carolinae, *quae* raptoris inſtar *ejusmodi* ſtupratorem violentum *puniendum eſſe praecipit, quam multorum quoque aliorum* Criminalium Scriptorum *auctoritas ſcrupulum quendam mihi injeciſſet. Vicit vero iſtam qualemcunq; animi fluctuationem maturior totius hujus negotii penſitatio, quae tandem, omnem violentiam, quam puellae de-*

floratae

floratae praetexere ſolent, non modo fictam atq; ſimulatam, ſed & cum naturalibus circumſtantiis, quae ad violentam talem & coactam deflorationem requiruntur, irreconciliabilem eſſe mihi perſuaſit. Qua in opinione me deinceps corroboravit Reſponſum Facultatis Medicae Lipſienſis, *cujus non modo* Ammannus *in* Medicina *ſua* Critica *Caſu C. mentionem facit, ſed* & Valentinus Pandectis *ſuis* Medico-legalibus *eundem totidem verbis Part. I. Sect. I. Caſ. XX. inſeri jusſit: Quaeſitum enim fuit;* An unus maſculus, ſine adjumento alterius intervenientis, virginem 17. annorum, ſine voluntate & permisſione ejus, violentrr ſtuprare posſit? *Et ſine tergiverſatione reſponſum eſt: Id* neque credibile neque posſibile videri, *inprimis*, ſi circumſtantias, quae in actu cöeundi concurrunt, conſideremus, quod unus maſculus nubilem virginem (*excipe impubem, teneram, delicatam aut ſimul ebriam puellam*) absq; ipſius conſenſu, permisſione atq; voluntate vitiare aut violento modo ſtuprare posſit: Dum foeminae cuilibet facilius eſt, SI VELIT, penis immisſionem recuſare vel multis aliis modis impedire, quam viro eidem invitae PLANE intrudere: *Quicquid vero*

ſit,

ſit, nos id quidem praeſenti Specimine *non agemus, ut* ſtupri violenti *crimen penitus negemus; Nihiloſecius aliquas* dubitandi rationes *adferemus, quae ſi Judicem de* nullitate criminis *non omnino convincant, circumſpectum tamen eundem reddent, quo minus impudicae cuivis mulieri vel puellae, de vi ſibi illata conquerenti, fidem ſtatim adhibeat. Optamus ſaltem, ut propoſitum noſtrum ſuccedat, FELICITER!*

TRANS-SUMPTIO.

Articulus CXIX. Conſtit. Criminalis Carolinae.

So jemand einer unverläumbdden Ehefrauen / Wittwen oder Jungfrauen mit Gewalt oder wieder ihren Willen ihre Jungfräulich oder Fräuliche Ehre nehme, derſelbige Ubelthäter hat das Leben verwircket / und ſoll auf Beklagung der benöthigten in ausführung der Miſſethat / einem Räuber gleich / mit dem Schwerdt vom Leben zum Tode gericht werden. So ſich aber einer ſolchs obgemeldtes Mißhandels freventlicher und gewaltiger Weiß gegen einer unverläumbden Frauen

Frauen oder Jungfrau unterſtünde/ und ſich die Frau oder Jungfraue ſein erwehrete/ oder von ſolcher Beſchwernis ſonſt errettet würde/ derſelbig Ubelthäter ſoll auff Beklagung der Benöthigten/ in ausführung der Mißhandlung/ nach Gelegenheit und Geſtalt der Perſohnen und unterſtandenen Miſſethat geſtrafft werden/ und ſollen darinn Richter und Urtheiler Raths gebrauchen/ wie vor andern fällen mehr geſetzt iſt.

EXPOSITIO.

§. I.

FRruſtra in definitione *ſtupri violenti* recte & legitime conſtituenda laboraſſe mihi videntur JCti, quamdiu ex natura rei non evicerint, ejusmodi delictum *ACTU DARI.* Parum interea ſollicitus *Carpzovius*, an crimen *ſtupri violenti*, per quod compresſionem nefariam atq; violentam, foeminae honeſtae invitae ac repugnanti illatam intelligunt & a ſimplici *fornicatione* diſtinguunt Doctores, posſibile ſit necne, ex ſeveritate poenae, quae eſt ultimum ſupplicium, aeſtimat; Quod argumenti genus ab eo non multum differt, quo atrocitas *criminis Magiae* ex gravitate poenae hucusq;

 a plerisq;

a pleriſq; āeſtimata eſt, qui aeq; parum de *reali exiſtentia* & *certitudine* ejusdem evincenda ac demonſtranda ſolliciti fuerunt, atq; *Carpzovius*, ut posſibilitatem ſaltem *ſtupri violenti* (terminis nempe habilibus accepti) demonſtratam daret.

§. 2.

Ne vero cum umbris luctemur, in principio ſtatim monemus, id quod ipſa quoq; *Conſtitutio Carolina* ſatis innuit, duplicem ex ſententia JCtorum eſſe ſpeciem *ſtupri violenti;* Aliud *actu perpetratum*, ſeu *perfectum* atq; *conſummatum*, aliud vero *attentatum* tantum. Ad *priorem* ſpeciem in genuino ſuo eſſe conſtituendam *Claſenius* in *Commentario ad Conſtitutiones Criminales Caroli V.* duo requirit: Nempe *nefariam* non modo *& per adhibitam vim factam compresſionem, qua honeſta foemina, quaecunq; demum illa fuerit, ſive nupta ſive innupta, illicito congreſſu corrumpitur,* ſed & *violentam pasſionem reſpectu foeminae, cui ſtuprum infertur,* ita quidem, *ut foemina ſtuprata non tantum plane non conſenſerit in illud delictum, ſed etiam libenter illud a ſe avertere VOLUISSET, modo POTUISSET vi ſtupratoris reſiſtere:* Per *poſteriorem* vero ſpeciem, *ſtuprum* nempe *attentatum,* intelligit illud, *cum aliquis foeminam vi quadam adhibita comprimere intendit, ſed a conſummatione delicti vel ob FOEMINÆ RESISTENTIAM vel etiam ob auxilium ad iſtius vociferationem ſuperveniens impeditur.* Uti vero hanc poſteriorem *ſtupri violenti* ſpeciem, nemo ſanae mentis negaverit, niſi qui ea omnia, quae per hominum malitiam peraguntur, craſſo modo

modo ignorare voluerit: Ita quoad *priorem* ejusdemq; posſibilitatem non paucae *dubitandi rationes* mihi occurrerunt, quae ut ab iis, quorum intereſt, condigne diluantur, eſt, quod majorem in modum peto atq; contendo.

§. 3.

Et *primum* quidem rationalem σκέψιν ſubminiſtrat ipſa *Conſtitutio Carolina*, quae diſertis verbis vim RESISTENDI nempe ſtupratori, tribuit foeminae: So ſich die Frau oder Jungfraue ſein erwehrete: Eoq; ipſo agnoſcitur, *POSSE* utiq; foeminam ſtupratoris violentiae obniti atq; ita ſtuprationis actum efficaciter eludere, dummodo *VELIT*. Quo eodem ſenſu *Claſenius* in definitione *ſtupri violenti attentati* eidem quoq; indulget *reſiſtentiam*, & quidem tam *efficacem*, ut a conſummatione delicti ſtuprator impediatur. Quaecunq; ergo foemina ſufficienti pollet *vi* ſtupratori *reſiſtendi*, cum firmo animi propoſito in factum nefarium nunquam conſentiendi, illa etiam violenta ratione ſtuprari nunquam poteſt; Jam vero *vi* iſta *reſiſtendi*, & tanta quidem, quae ad eludendam compresſionis violentae conſummationem requiritur, quaevis pollet foemina, nempe pubes, non aegrota, non ebria vel aliqua corporis imbecillitate laborans: E. ex concesſis, *nullum datur ſtuprum violentum*.

§. 4.

Manifeſtius vero id edocent circumſtantiae naturales, quae ad congreſſum venereum rite &

 cum

cum effectu abſolvendum requiruntur. Eſto, foeminam adultam, nubilem, puberem viriq; potentem ac ſanam in terram a viro robuſto violenter proſterni: Eſto, omnem operam impendere eundem, ut invitae, nolenti manibusq; ac pedibus renitenti membrum virile in uterum intrudat, ſicq; *ſtuprum* vere *violentum* tali foeminae inferat: Certus ſum, *attentari* quidem, nunquam vero *perfici* vel *conſummari* illud poſſe, dummodo conſtans foemina animo alat propoſitum *omnibus viribus reſiſtendi*, nec in turpe factum unquam *conſentiendi*. En tibi, qui *ſtuprum violentum* naturaliter posſibile eſſe contendis, gladium evaginatum, eumq; in vaginam vacuam, quam manibus meis teneo, immitte; Sponſionem tecum facere auſim, nunquam te illud, me invito & nolente, effecturum. Eodem modo puella clunes motitando, retrahendo, multisq; aliis modis immisſionem membri virilis in vaginam uteri conſtanter eludere poterit, niſi clitoridis frictione indeq; orta venerea voluptate allecta, voluntati ſtupratoris tandem totam ſeſe tradat; Quo ipſo tamen, voluntate & conſenſu foeminae accedente, ejusmodi *ſtuprum* ſtatim *violentum* eſſe deſinet.

§. 5.

Accedit, *ſtupri violenti* crimen ex conſenſu potisſimum & voluntate aeſtimari; Haec enim cum cogi ſeſe non patiatur: Hinc foemina, quae in turpe factum nunquam conſenſit, imo firmum potius habuit propoſitum ſtupratori *reſiſtendi*, &, quantum per delaſſationem corporis licuit, *fortiter repugnavit*,

tale

tale quoq; delictum commiſiſſe coargui non poteſt Quamobrem Doctores Juris non male ſentiunt, ejusmodi virginem, vi licet vitiatam, ſuam tamen pudicitiam non amittere, cum virtus iſta non in corpore, ſed in animo poſita ſit.

§. 6.

Non minoribus dubiis expoſiti ſunt *caſus*, qui ad probandum tale *ſtuprum violentum* referri hinc inde ſolent: Cujus indolis ille eſt, qui ab *Ammanno* in *Irenico* recenſetur de juvene quodam, qui mera ex laſcivia puellam tempore veſpertino in rhedam praeripuerat, eidemq; *ſtuprum violentum*, quod ipſa detrectaverat, quidem *intentavit*, ſed, currente rheda, commode abſolvere non potuit, licet interea puellae genitalia verpo ſuo male tractaverit. Haec inſpectioni medici cujusdam veterani & obſtetricis a Magiſtratu oppidano commiſſa, teſtimonium optima in forma obtinuit, per ſtuprationis violentiam non *vaginae* ſaltem *uterinae procidentiam* ſed plane *prolapſum uteri verum*, quo fundus ejus imis ex ſedibus vi evulſus extra labia pudendorum propendet, excitatum fuiſſe, cum interea eodem caſu ſincere referatur, puellam iſtam, quae *violenter* ſeſe conſtupratam fuiſſe querebatur, non ſolum commode Praetoris Domum adire potuiſſe, ſed ne quidem ab eo tempore unquam decubuiſſe. Et licet longe manifeſtisſimum ſit, relationem iſtam Phyſici veterani, quem ſine dubio ingenti in rebus Anatomicis imperitia laboraſſe oportuit, non minus abſurdam quam fundamentis Anatomicis contrariam fuiſſe, id quod in allegato caſu absq; ulla disſimulatione agnoſcit *Ammannus*:

Miſer tamen iſte juvenis carceri ſimul atq; carnifici traditus, dirisſimaq; tortura excruciatus eſt, ut, quod ſolummodo *intentaverat*, nunquam vero *perfecerat* vel *conſummaverat*, imo propter circumſtantiarum praeſentium habitudinem nequidem conſummare potuerat, in Judicio fateretur: Qua eadem cenſura ſi complures alii caſus notarentur, haud obſcure adpariturum inde foret, plerosq; *in facto* ne posſibiles quidem eſſe. Interim recte alios hortatur Juvenes *Ammannus*, ut hujus miſeri exemplo diſcant ſapere tantiq; poenitere non emant.

§. 7.

Ingenti deniq; *aequivocatione*, imo *incertitudine* laborant pleraq; indicia ſive ſigna, ex quibus *ſtuprum violentum* probare vulgo contendunt. Eſto enim, ſtuprum quempiam confiteri, ſed violentiam tantum negare, unde quaeſo illa probabitur? An forte, quod ſtuprata clamaverit? Sed clamant etiam (rarius tamen hodie) nonnullae ſponſae, prima vice cum ſponſo cöeuntes, inprimis ſi paullo impetuoſius ſuum maſculus negotium cum puella ſtrictiore adgrediatur. An vero fortius ſtringet argumentum, ſi pudenda ſanguinem ſtillaſſe, probatum fuerit? Neutiquam; Quis enim tam frivole credat puellae, de vi ſibi illata conquerenti & ad ſtillicidium ſanguinis provocanti, quod quippe omnes praetendunt ſtupratae, ne ipſis quidem proſtibulis publicis exceptis? Inprimis cum honeſtisſima quaevis perſona ex primo congreſſu maritali ſtillicidium ſanguinis pati posſit, ubi reſpectu foeminae non ſolum nul-

nulla vis, nulla coactio adeſt, ſed quae toto potius animo in concubitum conſenſit, imo ad eundem maſculo facilitandum, omni posſibili ratione ſeſe adcommodavit. Nec veri ſpeciem prae ſe fert inanis muliercularum perſuaſio, ex ipſo plane ſanguinis colore dijudicari poſſe, an virginis illibatae, jam demum vi conſtupratae, an vero vulgaris mulieris ille ſit, cum iſte ſecundum vetularum deliramenta adſpectum floridum atq; purpureum, hic vero abjectam & nigricantem faciem exhibeat; Unde tanto minus graviter ferre poſſunt, qui induſia tali cruore tincta, ad *Facultates Medicas* ſubinde transmittunt, & judicia earundem deſuper expoſcunt, ſi ſimplicitatem pariter atq; credulitatem anicularum nullo numero habentes, linteamina talia cum ſarcasmo remittant.

§. 8.

Pari fide reliquae obſtetricum traditiones nituntur; Quem enim in pudendorum muliebrium labellis ruborem, tanquam infallibilem violentiae illatae teſtem, illae animadverti praetendunt, imaginarium eſt & fabuloſum, &, ſi quam maxime talis reperiretur, illum tamen aliquot dierum intervallo evaneſcere debere, cuilibet facillimum eſt judicare. De amplitudine vaginae uterinae *in univerſum* nihil certi determinare licet, quae quippe tam pro ipſorum individuorum, quam ipſius quoq; temporis diverſitate varia eſt; Quae enim poſt proxime praecedentem menſtruorum fluxum ſtupra-

ſtuprari ſeſe patitur foemina, vix habet, ut de ulla vi ſive violentia ſibi illata conqueratur: Quia ob vaginae laxitatem flacciditatemq; longe facilior hoc quam alio tempore ad virginem eſt ingreſſus; Longe vero impeditior difficiliorq; hac menſtruationis periodo finita, quia illa denuo conſtringitur & anguſtior redditur. Qua de re duas memoratu lectuque dignas hiſtorias in libello *de notis virginitatis* adfert *Severinus Pinaeus.* Proindeq; uti vaginae uterinae anguſtia non ſemper virginitatis integritatem probat: Ita nec ejusdem laxitas certam & infallibilem deflorationem; Adde, coanguſtationem talem vaginae artificialibus quoq; mediis atq; remediis procurari poſſe, qualia prohdolor in Gynaeceis non ſunt ignota. Quod deniq; de obliteratione rugarum ejusdem vaginae delirae aniculae fabulantur, cum praecedentibus earundem figmentis eodem vel nullo numero habendum eſt.

§. 9.

Excipi tamen poſſet, ſaltem in impuberem viriq; nondum potentem *ſtuprum violentum* committi poſſe, quae quippe, cum ob virium imbecillitatem ſtupratori ſufficienter *reſiſtere* nequeat, ſed corpus ſuum ejusdem arbitrio atq; libidini abſolute permittere cogatur, *ſtupri violenti* posſibilitatem ſatis confirmet: Verum praeterquam, quod dubium ſemper maneat, an ejusmodi *ſtuprum perfectum* & *conſummatum* fuerit, nec ne? An vero intra ſolius *attentationis* terminos tantum ſubſiſterit? Cum propter nimiam

nimiam pudendorum arctitudinem in immatura tali atq; impubere puella membro ſuo ultra pudendorum labia vix penetrare, multo vero minus ſemen ſuum in interiora uteri ejaculari potuerit ſtuprator: Illa adhuc accedit difficultas, quod, ſi vel maxime puellae talis corpus obſtetricibus vel aliis honeſtis atq; iis in rebus peritis mulieribus inſpiciendum concederetur; De qualicunq; quidem pudendis illata vi, de *perfecto* autem & *abſoluto ſtupro violento* firmum teſtimonium ferre nulla ratione posſint; Inprimis cum mulieres iſtae non *de veritate*, ſed *de credulitate* tantum deponere teneantur; Cui fundamento, tanquam nimis lubrico & incerto inſiſtere vitamq; hominis in diſcrimen adducere velle, ſumme foret temerarium: Niſi forte dicere placeat, non tam propter ſtuprum ipſum, quam propter adhibitam violentiam poenam tam gravem irrogari; Quod ipſum tamen ſua non minus difficultate laborat: Quia, licet *ſtupratorem violentum* depraedatori publico comparari poſſe patiar; Non pari tamen facilitate, eadem cum illo poena eundem adficiendum eſſe, conceſſero: Cum ob nimiam vaginae arctitudinem & denegatum ad interiora uteri introitum pudicitia atq; virginitas puellae manſerit integra & inviolata; Atq; adeo, ubi nihil praedatus eſt ejusmodi ſtuprator, ibi quoq; poena, in crimen tale ſtatuta, locum habere nequit.

§. 10.

Quid multis? Ipſe namq; *Carpzovius*, poſteaquam *in re naturaliter non facile posſibili* comprobanda

inutiliter ſeſe torſit, ingenue tandem confitetur, *conatum ſtupri violenti irritum quandoq; & fruſtraneum eſſe poſſe*, ſi vir robuſtus aeq; robuſtam foeminam in terram quidem conjiciat, repugnantem tamen atq; invitam ſuperare nequeat; Quo quippe caſu liberaliter ſimul concedit, extraordinariam tantum poenam locum habere, cum *conſummatum* & *perfectum*, non ſimpliciter *attentatum* poena gladii puniri ſoleat.

§. 11.

Poſtremo illud propemodum ridiculum videri poterat, quod *Carpzovius* operoſe diſquirat, *num etiam in meretricem vel mulierem vulgarem ſtuprum violentum exerceri queat?* Et, ſi hoc affirmatum fuerit, ejusmodi reum in foro Saxonico non minus capite plecti poſſe, concedit, quam ſi cuivis honeſtisſimae virgini vis illata eſſet. Ridiculum, inquam, videri hoc poterat; Per ſe enim patet, nihil ibi violenti naturaliter committi poſſe, ubi nulla eſt *reſiſtentia*. Proſtibulum publicum, quod pudicitiam ſuam ſemel venalem expoſuit, nihil habet, quod amittat, proindeq; qui cum meretrice etiam invita concumbit, non poteſt dici praedator pudicitiae atq; honorum, quae quippe bona dudum amiſit, niſi forte probandum in ſe ſuſcipiat *Carpzovius*, hymen puellarum ſemel ruptum, ut chelas cancrorum, renaſci. Sunt tamen complures, qui *Conſtitutionis* abſurditatem dudum exploſerunt.

§. 12.

§. 12.

Eandem cenſuram promereri videtur alia *Juris Saxonici Conſtitutio*, quae in omne animal, quod violentiae, mulieri illatae, tempore adfuit, mortis poenam imo aedificia praediorum ſeu villarum, in quibus mulieres vel virgines violenter compreſſae vel poſt factum introductae reperiuntur, ſuccidi & terrae aequari, decrevit; Quaſi nempe foeditatem criminis animalia intelligerent vel muti aedificiorum parietes eandem aliis denunciare poſſent! Recte tamen & prudenter monet *Carpzovius*, conſuetudinem iſtam jam in deſuetudinem in Saxonia abiiſſe.

§. 13.

Quomodocunq; interim haſce meas dubitationes de *ſtupri violenti*, nempe *conſummati* & *perfecti* phyſica impoſſibilitate interpretentur Doctores Juris: Sequentia tamen ſponte inde fluunt Conſectaria:

I.) Tanto minus *adulterium* dari *violentum*, ſi ne quidem *ſtuprum violentum*, poſitis ſcilicet terminis habilibus, naturali modo poſſibile ſit.

II.) Obſtetrices de *ſtupro violento* deponere juſſas, plerumq; futilia imo aperte falſa Judici enarrare.

III.) Signa atque indicia *ſtupri violenti* eſſe partim *inſufficientia*, partim *cuicunq; violationi*, per quamcunq; aliam cauſam inductae, *communia*. Adde, malitiam atq; verſutiem foeminarum tantam eſſe, ut interdum dedita opera vim ſibi ipſis inferant, ſperantes matrimonii, quod Juvenis alias forte renueret, conſummationem.

IV.) Ipſum ſpecialiter ſanguinis profluvium aliquam quidem a membro virili impetuoſius immiſſo denotare violentiam, vaginae uteri illatam, unde virginitas laedi atq; corrumpi poſſit; Nullum tamen firmum *ſtupri violenti* indicium praebere. Potuit enim foemina conſenſiſſe; Quo caſu omnis ceſſat *vis*, omnis *violentia*, nempe *moralis*.

V.) Non obſtare nobis auctoritatem ſacri codicis Deuteronom. XXII. v. 25. 26. & 27. Quale enim hic deſcribitur *ſtuprum violentum*, tale omnino datur; *Si* nempe *vir* quidam *in agro invenerit puellam deſponſatam & vim faciens ei, concubuerit cum ea, tunc morietur vir ille, qui concubuerit cum ea ſolus; Quum in agro invenerit eam, clamaverit puella deſponſata, nec fuerit, qui ſervaret eam*, nec, propriis licet viribus uſa, *ſufficienter ſtupratori reſiſtere* valuerit.

SPECIMEN OCTAVUM
MEDICINAE FORENSIS
Ad
Artic. CXLVII. Conſtit. Crimin. Carolin.

PRAEFATIO.

Qui inſanabili novas ſemper opiniones in publicum protrudendi pruritu laborant, nunquam ſerio ad animum revocaſſe videntur incommoda, quin manifeſta damna, quae in Rempublicam inde redundant, quod illimitata iſta quidvis ſentiendi licentia in ipſas plane ſcientias Practicas, *de vita hominum decernentes, temere extendatur; Ita enim periculo capitis ſubinde exponuntur, qui criminis omnis omnino erant expertes, & contra ab eodem abſolvuntur, qui ejus quam maxime reos ſeſe fecerant; Idq; nullam aliam ob cauſſam, quam quod Judex de* corpore delicti *rite informatus*

 non

non fuerit. *Hujus indolis eſt opinio nova* de non requirenda vulneris lethalitate, *quae ante hos viginti annos* Diſſertatione Juridica Inaugurali *in* Academia Hallenſi *ventilata fuit; Cujus* Auctor, *promiſcue & citra ullam diſtinctionem capitis poenam ei irrogandam eſſe contendit, qui* dolo malo alterum laedendo, hujus morti cauſſam dederit, etiamſi internecionem ejus nullo modo intenderit; *Quomodocunque caeteroquin cum ipſa vulneris, cujus quippe* lethalitatem *inveſtigare non ſit neceſſarium, conditione res ſeſe habeat; Quae ſententia cum nimia ſingularitate laborare, nimis inſuper ſevera, Reipublicae noxia & injuria eſſe videatur, ſolertiorem omni modo diſquiſitionem meretur: Inprimis cum alii JCti longe modeſtius hoc de negotio ſenſerint; Illuſtris potisſimum* Stryckius; *Qui licet inſpectionem vulnerati cadaverisq; alias ſumme neceſſariam eſſe judicet; Eo tamen caſu, ubi lethalitatem ex breviori vitae termino & morte, vulnerationem immediate excipiente, MAXIME PROBABILITER concludere liceret, tam abſolutae illam necesſitatis non eſſe cenſuit, quin eadem penitus neglecta, poena nihilominus ordinaria in occiſore locum habeat. Cum itaq; de ſanguine*

humano,

humano, eoque vel vindicando vel conſervando agatur, operae valere pretium exiſtimamus, ſi ſingularem hanc opinionem de non requirenda vulnerum lethalitate *exactiori examini ſubmittamus, ſpe certa freti, DEUM T. O. M. ſuo nobis auxilio adfuturum, noſtrisq; laboribus ita benedicturum eſſe, ut in proximi noſtri ſalutem & emolumentum veritatem indagare queamus!*

TRANS-SUMPTIO.

Art. CXLVII. Conſtit. Criminal. Carolin.

So einer geſchlagen wird / und über etliche Zeit darnach ſtürbe / alſo daß zweiffelich wäre / ob er der geklagten Streich halben geſtorben wäre / oder nicht / in ſolchen Fällen mögen beyde Theil Kundſchafft zur Sachen dienſtlich ſtellen / und ſollen doch / ſonderlich die Wund-Aertzte der Sache verſtändig / und andre Perſonen / die da wiſſen / wie ſich der Geſtorbene nach dem Schlage und rumor gehalten habe / zu Zeugen gebraucht werden / mit Anzeigung / wie lange der Geſtorbene nach den Streichen gelebt habe / und

in ſolchen Urtheilen die Urtheiler bey den Rechts-Verſtändigen/ und an Enden und Orthen/ wie zu End dieſer unſerer Ordnung angezeiget/ Raths pflegen.

EXPOSITIO.

§. I.

DUo rerum momenta ſunt, quae in hac *Conſtitutione* in diſquiſitionem venire poſſunt, imo debent. *Alterum* eſt: An, *ſi vulneratus diem decimum*, quem *criticum* ſeu *decretorium* eſſe, vulgus ſibi perſuadet, *ſupervixerit*, *vulnerans ab homicidii poena abſolvi & inſons declarari debeat*? *Alterum* vero eſt; An nullo unquam in caſu, ſive vulneratus ſtatim poſt acceptam plagam vel vulnus conciderit animamque efflaverit, vel poſt aliquot demum dierum intervallum interierit, *lethalitas* vulneris requirenda, ſed promiſcue & citra ullam diſtinctionem poena capitis vulneranti irroganda ſit? *Priorem* quod attinet quaeſtionem, illam D. *Auguſtus Chriſtianus Knaut*, noſter olim Auditor perinduſtrius, nunc *Medicinarum Doctor* & *Practicus Magdeburgenſis*, in Diſſertatione ſua Inaugurali *de efficacia dierum criticorum in vulneribus de lethalitate dubiis*, ſub Praeſidio Celeberrimi *Wedelii* ante hos undecim annos eruditis ventilandam propoſuit, ac ſolide, ni fallor, demonſtra-

monſtravit: Vanum eſſe & ab indole *dierum criticorum* penitus alienum, in determinanda vulnerum *letbalitate* vel *illetbalitate* quicquam illis efficaciae tribuere. Reſtat itaq; *poſterior* a nobis enodanda quaeſtio, quae de neceſſitate ſecandi & inſpiciendi cadaveris ferendiq; de conditione vulneris judicii disquirit.

§. II.

Nullum vero dubium eſt, quin, *ſi vulneratus poſt aliquot dierum intervallum ultimum diem obierit*, cadaver inſpiciendum & de qualitate vulneris renunciandum ſit: Hoc enim non modo Imperator Art. CXLVII. & CXLIX. diſertis verbis injungit, ſed & conſtanter olim ita obſervatum eſt, conſentientibus non paucis celebriorum JCtorum, quos inter *Illuſtrem Stryckium* nominaſſe ſufficiat, qui quippe *inſpectionem vulnerati cadaverisq;* tali in caſu *tantae neceſſitatis* eſſe credit, *ut, ſi ea omiſſa fuerit, vel non legitime facta, ad poenam ultimi ſupplicii non posſit deveniri:* Unde etiam, *ſi inſpectio cadaveris plane, ſive, ut alii volunt, rite facta non fuerit pleroſq; conſentire,* ait *Stryckius, non poenam ordinariam ſed extraordinariam* tantum *infligendam eſſe*: Cum hic *dubium* ſit *delicti corpus, &, neglecta inſpectione, non conſtet Judici, an ex vulnere illato, an ſymptomate* quodam vel alia cauſſa *deceſſerit* vulneratus.

§. III.

Quid ſi autem *vulneratus* in continenti, i. e. mox poſt acceptam plagam vel ictum mortuus conciderit? Quid tum faciendum? An tali etiam in caſu

cadaver aperiendum, vulneris conditio examinanda atqve coram Judice deſuper deponendum? Vel, ſi ſine ſolemni tali inſpectione & renunciatione de ſi mortuus fuerit ſepultus, an ideo occiſori poena ordinaria remittenda, *ſi* ſolemnitatis hujus neglectum praetexeret? *Negativam* cum *Feltmanno*, *Carpzovio* & *Brunnemanno* Illuſtris tuetur *Stryckius*; Cui enim bono cadaveris inſpectio? Quippe quae adhibetur tantum, *ut conſtet, an ex vulnere aliquis deceſſerit?* Hic vero ex breviori vitae termino & morte, vulnerationem immediate excipiente, MAXIME PROBABILITER *lethalitatem* concludi poſſe arguit, atqve proinde ex vulnere quempiam deceſſiſſe, PRAESUMPTIONEM eſſe, concludit: Cum in *delinquente animus occidendi adſit, quem* inſuper *ex facto illicito abunde colligere* liceat, *ipſum quoque armorum genus, quo invaſio facta, mortiferum* ſit, *nec malo vulnerati regimini quicquam imputari queat*: Unde tali in caſu, tanquam RE CERTA, ſectione opus non habere Judicem, contendit; Qvare etiam à *Facultate Juridica* poenam ordinariam aliquoties dictatam fuiſſe meminit.

§. IV.

At vero, praeterquam, quod in poena capitis infligenda non meris *probabilitatibus* vel *praeſumptionibus*, tanto vero minus *incertis conjecturis* niti deceat Judicem, ſed *lethalitatis abſolutae* certa eſt indubitata requirantur ſigna atque indicia; Haec vero alia ratione, niſi cadaver ſecando, inſpiciendo ac deſuper coram Judice deponendo, innoteſcere vix poſſint:

ſint: Subinde etiam tales in vita communi occurrere ſoleant caſus, ubi non immerito dubitare liceat, an vulneratus ex vulnere, an alia potius cauſſa mortuus fuerit? Semper conſultius eſſe judicamus, etiam tali in caſu de inveſtiganda vulneris *lethalitate* ſollicitum eſſe: Quia hoc modo multis Advocatorum rixis & altercationibus nervus praeſcindi & efficaciter praepediri poteſt, ne ob neglectam cadaveris inſpectionem totus *inquiſitorius Proceſſus* nullitatis, ut fieri ſubinde ſuevit, cöarguatur. Qui curioſi ſunt, colaphorum lethalium exempla apud *Hippocratem*, *Horatium Augenium*, *Melchiorem Sebizium*, *Godofredum Welſchium*, *Guilielmum Fabricium Hildanum* alioſque legere poſſunt. *Antonius Benivenius* ex *alapa*, Juveni inter rixas inflicta, apoplexiam acceſſiſſe, quae paucis horis aegrum e medio ſuſtulerit, enarrat: *Johannes Rudolphus Camerarius* ex propria obſervatione refert, uxorem, accepto a marito colapho, repente concidiſſe & exſpiraſſe; Medicum tamen, aperto cranio & inſpecto cerebro ejusque membranis, inſontem illum declaraſſe. *Thomas Bartholinus* recenſet caſum de *Dano* quodam admodum robuſto, qui hoſpitis ſui jocum *mortifera alapa* compenſavit. Si itaq; ex morte alapam inflictam ſubito ſecuta *lethalitas abſoluta* aeſtimanda foret, capitis poena injuſte abſoluti eſſent omnes, qui ex colapho inflicto morti cauſſam dedere, etiamſi internecionem illorum, ut palam eſt, nullo modo intenderint.

§. V.

§. V.

Tolerari tamen in foro haec ſententia utcunque poſſet, quoniam Reipublicae ſaluti non adeo inimica eſſe videtur; Quanquam, ut commentario ad hunc articulum recte monet *Kreſſius*, *praeſtet utiq́;, Medicum cum Chirurgo, re integra, ad inſpiciendum cadaver advocare, ne vel cum conſcientiae ſcrupulo inquiſitus ad mortem damnetur* vel defenſoris artificio promerito ſupplicio ſubtrahatur. Verum nullo unquam in caſu, quod praetendit *Diſputator Hallenſis*, laeſionis ſeu percuſſionis qualitatem ipſiusq́; vulneris *lethalitatem inquirendam* eſſe, ſed ad *poenam homicidii irrogandam ſufficere, quod ex doloſa alicujus offenſione alteri mors cauſata ſit*, id quidem negamus ac pernegamus; Inprimis cum nullas ſolidas rationes, ad id credendum, adlatas eſſe videamus.

§. VI.

Primum enim dicta in diſputatione fruſtra hodie exprobratur Medicis, quod de re ipſa & vera *lethalitatis* ſignificatione inter ſeſe mutuo non conveniant; Manifeſta quoq; injuria adficitur Excell. D. D. *Stahlius*, dum eundem in partes trahere invitumq; *diſputationis Chirurgico-Medicae*, quae de *vulnerum lethalitate* agit, auctorem facere allaborat *Diſputator*, ſtylo licet omniq; alia tractandi ratione reclamante; Qui potius ſua in allocutione ad D. *Reſpondentem* in eo totus eſt, ut antiquum illud medicinae opprobrium, mere ſcilicet στοχαστικην ſeu conjecturalem illam eſſe, ab arte removeat, & contra demonſtret, longe majori *hanc* prae *Jurisprudentia* pollere certitudine, quae quippe

non

non modo *ſecundum fallacia ſaepe atq; defectiva teſtium effata & manca acta atq; probata, nihil ſolide juſti ſtatuere atq; decernere poteſt:* Sed & non raro *methodum inveniendae veritatis per carnificinas & tormenta tentare neceſſe habet.* Interea tantum abeſt, ut is omnem, quo medicina laborat, ϛοχασμὸν negare vel diſſimulare ullo modo contendat, ut potius ingenue fateatur, nihil familiarius eſſe, quam in ejusmodi rebus, quae vitam hominum concernunt, *jam neſcio quibus conjecturis, jam ſuae authoritatis erigendae ſtudiis, jam aemulationi atque contradicendi pruritui* nimium quantum *tribuere; Ibi reos conjecturis gravare, conjecturas ex opinionibus, & vulgo & maximo ſuo merito controverſis atque dubiis pro rationibus ponere, figmenta caſuum ac eventuum pro hypotheſi & ipſo praeſente caſu aſſumere, quibus nihil ſimile, nedum geminum unquam fando acceptum ſit; Eventus per probabilem conſequentiam, pro effectibus interpretari; Diſtinctionem* lethalitatis abſolutae, periculoſitatis eximiae, accidentalis periculi, *non applicare; Imo judicium ſuum vel pro probabilibus reddendis ac plane determinandis, circumſtantiis temere ſuſpectis & nullo corpore delicti adumbratis, non tam obfirmare,* quam *ſuſpiciones demum ſuppeditare &c.* Quae omnia, licet conjecturis multum vulgo tribui, evidenter probent: Eſt tamen viciſſim quoque manifeſtum, non tam *artis*, quam *artificum* potius vitio atque culpa haec omnia ita evenire.

§. VII.

Eſto autem, judicia medicorum circa determinandam *vulnerum lethalitatem* non omni carere difficultate; Ideo tamen incertitudinis poſtulari vel cöargui omnia non debent, noſtro potiſſimum aevo, quo argumentum hoc indefeſſo ſtudio *Bernhardi Suevi*, *Melchioris Sebizii*, *Godofredi Welſchii*, *Johannis Bohnii*, aliorumq; ita exhauſtum eſt, ut querelis ejusmodi nullus amplius locus videatur eſſe relictus. Id quod ut tanto clarius cuivis ponatur ob oculos, diſtinctusq; conceptus de *lethalitate vulneris* cujuslibet animo ingeneretur, ad ſequentia praeſuppoſita indeq; formandam demonſtrationem velim attendant, qui *medicorum ad inſpectionem facta atteſtata*, *lubrica*, *erronea* atq; *incerta* eſſe hucusq; conqueſti ſunt:

Primum itaq; illorum praeſuppoſitorum eſt: Per vulnus non ſolummodo actualem in continuo factam ſolutionem, ſed & contuſionem, percusſionem & quamvis aliam graviorem laeſionem intelligendam eſſe.

Alterum eſt: Ejusmodi laeſiones vel *abſolute*, *per ſe* & *neceſſario lethales* ſeu ſua natura *mortiferas*; Vel cum morte quidem *ex necesſitate* conjunctas non eſſe, ſed *accidentaliter lethales* reddi, ſi vel vulneratus ipſe in diaeta atq; regimine errorem quendam commiſerit, vel medici atq; chirurgi negligentia, incuria vel inſcitia peccaverint; Vel deniq; *dubiam* & ancipitem eſſe illarum *lethalitatem*; Qui eſt ipſe ille caſus, de quo *Conſtitutio Imperatoria* ſpeciatim disquirit.

Tertium eſt: *Lethalitatem* vulnerum partim a *priori* partim *a poſteriori* aeſtimandam eſſe; *Ibi* non modo indoles partis vulneratae ſecundum *texturam* & *ſtructuram* ſuam, ſed & laeſa illius functio ſive officium, quod *oeconomiae vitali* praeſtat, conſideratur, indicata ſimul ratione, quare ejusmodi vulnus mortem *ex neceſsitate* pediſſequam habuerit: *Hic* vero ex funeſto effectu, ſi nempe vulneratus vel in continenti ſive mox ab acceptis plagis vel poſt aliquot demum dierum intervallum mortuus fuerit, *lethalitas* dijudicatur.

Quartum eſt: Verum *laeſionis* ſtatum aliunde rectius non innoteſcere, quam per cadaveris ſectionem, inſpectionem ſolertemq; penſitationem omnium circumſtantiarum & accidentium, quae cum tali laeſione ſunt complicata.

Poſtremum deniq; eſt: Determinationem *lethalitatis* ex theoria *vitae* ac *mortis* potisſimum hauriendam eſſe: Si enim vita tamdiu ſalva eſt atq; incolumis, quamdiu actus vitales, motus inprimis ſanguinis humorumq; circulatorius & dependentes ab illo actus ſecretorii & excretorii rite ſuccedunt, ſicq; actualis putredo, ad quam corpus vi materialis ſuae diſpoſitionis ſingulis quaſi momentis pronum eſt atq; proclive, arcetur: Ita *mortem* ſequi neceſſe eſt, ſi ſanguinis reliquorumq; humorum motu periodico ſublato ceſſantibusqve ſecretionibus & excretionibus, corpus putredini abſolute relinquatur: Ita enim, deſtructis primariis actuum vita-

lium organis, & ſublato arcto, quod alias inter animam rationalem & corpus ſuum organicum intercedebat, quodque in mutuis actionibus & paſſionibus conſiſtebat, commercio, deſtructionem totius Compoſiti ſequi debere, non eſt mirandum.

§. VIII.

Atque ex hiſce paucis *praeſuppoſitis* nunc *lethalitatis* determinatio ſeu demonſtratio ſponte fluit: Quaecunque enim vulnera circulationem ſangvinis humorumqve vitae conſervandae princeps inſtrumentum, tollunt, quae immedicabiles laeſiones organis vitalibus inducunt, cum graviſſimis ſymptomatibus, immedicabili v. g. haemorrhagia ſunt ſtipatae, quaeque nullam medicamentorum, imo ne manuum quidem adplicationem admittunt, uti ſunt vulnera, in ventriculos cordis penetrantia vel truncis arteriae magnae, venae cavae, vel portarum illata, vulnera item hepatis & diaphragmatis, & quidem parti ejus nervoſo-tendinoſae inflicta &c. ea, omnia *per ſe* & *abſolute* ſunt *lethalia;* Quia ſine alterius cauſſae interventu *proxime*, *per ſe* & *immediate* mortem cauſſantur; Idque eo certius, quo plura *lethalitatis* ſigna concurrunt, effectu inprimis & eventu funeſto omnia confirmante: Cum vero *lethalitatis* iſtius ſigna & indicia nulla ratione melius innoteſcant, quam ſectione & inſpectione cadaveris: Sequitur, *lethalitatem* vulnerum abſolute *requirendam eſſe;* Id quod contra *Diſputatorem Hallenſem* erat demonſtrandum, Viciſſim: Quaecunque vulnera

nera ita comparata ſunt, ut ex illis, qua talibus, nullus vulneratorum immediate fatis cedat, verum ex quibus potius, teſte multiplici experientia, percuſſi modo pereunt, modo iterum convaleſcunt, quae tamen interea modo pro ipſius patientis pravo regimine atqve diaeta, modo pro diverſa Medicorum pariter ac Chirurgorum ſolertia, induſtria atque peritia, modo vero aliarum circumſtantiarum intuitu funeſtum ſortiuntur exitum, ea omnia *accidentaliter* tantum *lethalia* redduntur. Quia tamen ad *eventum* ſive *ſalutarem* ſive *lethalem dubie* ſeſe habent, ſequitur, eorundem *lethalitatem* neceſſario quoque *requirendam eſſe.*

§. IX.

Soluto hoc modo primario offenſionis nodo, ad reliqua à *Diſputatore Hallenſi* allata dubia atque argumenta tanto facilius reſponderi poteſt. Et parum quidem circulos noſtros, nempe medicos, turbat, an ſententia illa de *requirenda vulneris lethalitate* in *Jure Civili* aliquod habeat praeſidium, nec ne? Textus tamen *L. 30. §. fin. ff. ad L. Aquil.* clarus eſt, quo dicitur: *De vulnerato actionem eſſe, non de occiſo, ſi vulneratus fuerit ſervus non mortifere, negligentia autem perierit.* Quidni enim a *ſervo* ad *liberum hominem*, & a *cauſſa civili* ad *criminalem* concludere hic liceret? Si enim Dominus, de ſervo occiſo conventus, excipere poterat, non ex vulnere, quod quippe lethale non fuerit, mortuum illum fuiſſe, ſed propria *manifeſta* & *probata* negligentia eundem periiſſe; Quare eadem

ceptio hodieque locum non haberet? Et qua quaeſo ratione aliter probare potuiſſet herus, ſervum non ex vulnere, ſed propria negligentia mortuum eſſe, niſi per *vulneris inſpectionem* ac *judicium Medicorum deſuper latum?* Etiamſi in lege ipſa requirendi talis judicii nulla fiat mentio.

§. X.

Ex Textu autem in *L. 15. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* ubi dicitur: *Nihil intereſſe, occidat quis, an cauſam morti praebeat?* Contrariae ſententiae Defenſores non ſolum nullum petere poſſunt patrocinium, ſed &, ſi vulgarem interpretationem admittant, innumeris difficultatibus, quin manifeſtis abſurditatibus ſeſe implicabunt. Si enim ad gladii poenam inferendam ſufficit, ſi quis alterum percuſſerit, & iſta ex percuſſione, utut non lethali, mors ſequuta ſit; Sequitur: Homicidii poenam incurrere, qui alterum ob rem male geſtam increpuerit, is vero iracundia inde commotus in febrim cholericam vel cauſum inciderit, indeq; diem ultimum obierit; Vel, ſi quis puerperae plagas per ſe non lethales intulerit, quae inde gravem nihilominus alterationem paſſa febrique inflammatoria correpta pereat; Vel, ſi Chirurgus venam alicui aperuerit, ſangvis tamen, ob terrorem inde conceptum, nullus fluxerit, interea, vulnere debite non obligato, homini in ſolitudine conſtituto ſanguis fluere incipiat ſicque ob denegatum omne auxilium interire cogatur; Vel, ſi alter alteri colaphum inflixerit, unde vel in continenti

nenti vel aliquot horas aut dies poſt moriatur. Nullum enim dubium eſt, quin permulti ad gladii poenam condemnandi eſſent, ſi ex longe alia, quam vulnere illato, cauſſa deceſſiſſet percuſſus, & interea tamen percusſionis talis *lethalitas non eſſet requirenda.*

§. XI.

Quod *Conſtitutionem Criminalem*, ſpeciatim articulos 147. & 149 ejusdem attinet, miror ſane, negare potuiſſe *Diſputatorem Hallenſem*, in illa ſententiam noſtram de *requirenda vulnerum lethalitate* non eſſe fundatam. Etiamſi enim in articulo 137. nec de *cadavere occiſi ſecando & inſpiciendo*, nec de *judicio medici ſuper lethalitate* formando, ulla injiciatur mentio; Imperatori tamen ſermo eſt de vulnerato, percuſſo vel quacunq; alia ratione laeſo, qui non incontinenti, ſed poſt aliquod temporis intervallum moriatur; Ita ut dubium ſubnaſcatur, utrum talis laeſio mortem per ſe cauſſata, an vero aliunde ſecuta ſit? Dicat enim mihi, qua alias ratione dubium illud felicius tolli queat, quam *occiſi ſectione & inſpectione?* Quam etiam ob cauſſam Imperator teſtimonium Chirurgorum, ſua in arte peritorum, requirit, non certe ideo, ut obſervent, qua ratione vulneratus toto decubitus ſui tempore ſeſe geſſerit, ſed, ut ſuper *lethalitate vulneris* coram Judice deponant, an ſcilicet ex vulnere, qua tali, an vero ex alio quodam accidente deceſſerit? Sed hoc teſtimonium aliunde petere non poſſunt, quam ex ipſa vulneris inſpectione, indeq; aeſtimata ejusdem indole

dole atq; conditione. Multo clarius eſt argumentum totius articuli 149. quo quippe ſpecialiter injungitur Chirurgis, ut corpus occiſi *ante ſepulturam* diligenter *inſpiciant, & omnia vulnera, ictus, tubera, veſtigia, ubi & quomodo vulnus fuerit inflictum, quaenam partes fuerint laeſae, & alia ibidem occurrentia exacte notari ac deſcribi curent.* Et cui quaeſo bono? Nullam aliam ob rationem, quam ut Judici rite conſtet, utrum ex vulnere, an vero alia ex cauſſa percusſus obierit?

§. XII.

Nec deniq; perſpicere ullo modo licet, cur ſententia noſtra *de requirenda vulnerum lethalitate* Juri Divino contraria ſit cenſenda? Largimur quidem ac fatemur lubentes, homicidium omne, injuſte & ex deſtinato conſilio atq; propoſito commiſſum, morte puniendum eſſe; Deteſtamur criminis atrocitatem; Verum *promiſcue & citra ullam diſtinctionem ſupplicio ultimo eum adficiendum eſſe, qui dolo malo alterum laedendo, morti hujus cauſſam dederit, etiamſi internecionem ejus nullo modo intenderit*, id quidem nimis durum, iniquum & a ſapientisſima *Politiae Judaicae* conſtitutione alienum nobis videtur; Cum probabile non ſit, Judices Judaeorum ad poenam ſtatim capitalem condemnaſſe illos, qui in vehementia irae vel calore rixarum alium percuſſerunt, ex qua percuſſus deinde mortuus fuerit; Sed vero ſimilius eſt, in qualitatem laeſionis illos ſolertisſime prius inquiſiviſſe, & ſic demum ſecundum circum-

ſtantias

ſtantias & qualitatem laeſionis judicium inſtituiſſe, reum nempe condemnando inſontemq; abſolvendo. Concludimus ergo, homicidii accuſato mortis poenam irrogari non poſſe, niſi de *lethalitate vulneris* ex ſententia medicorum atq; Chirurgorum rite prius conſtiterit; De hac vero cum aliunde rectius conſtare non poſſit, quam ex *cadaveris ſectione, inſpectione* ac *depoſitione deſuper facta*: Sequitur, *in omni vulnere ejusdem lethalitatem eſſe requirendam*; Atque adeo ſententiam contrariam, mera quippe ſingularitate ſeſe commendantem, tanquam novam, ſuſpectam & foro minus applicabilem eſſe exterminandam; Id quod contra *Diſputatorem Hallenſem* erat Demonſtrandum.

§. XIII.

Ad alterum nunc Articuli hujus momentum deproperandum atque in *efficaciam dierum decretoriorum in vulneribus de lethalitate dubiis* inquirendum eſſet: Verum cum laborem iſtum, uti ſuperius jam monui, ante hos undecim annos Praenobiliſſimus & Experientiſſimus D. D. *Knaut* ſua in *Diſſertatione Inaugurali*, de hoc argumento conſcripta, jam dudum praeoccupaverit, atque ſub *Praeſidio* Magni & Incomparabilis *Medici Jenenſis, Wedelii Senioris*, publice ventilandam propoſuerit, actum agere nolo, ſed benevolum Lectorem eo remitto.

F I N I S.

U NOMI-

NOMINA AUCTORUM

Quorum Scripta in *Introdu-ctione* in *Hiſtoriam Litterariam Medicinae Forenſis* recenſentur.

A.

Ammannus Paulus, *Lipſienſis.*
Arniſaeus Henningus, Pr. *Francofurtenſis.*
Augenius a Monte Sancto, Horatius.
Axtius Johan. Conradus.

B.

Beckerus Johannes Conradus, Med. *Alsfeldenſis.*
Beverovicius Johannes, *Dordracenus.*
Bohnius Johannes, *Lipſienſis.*
Bokelius Johannes.
Bonaciolus Ludovicus, *Ferrarienſis.*

C.

Cajus Bernhardinus, *Venetus.*
Caeſalpinus Andreas.
Capivaccius Hieronymus, *Italus.*
Cardanus Hieronymus, *Bononienſis.*
à Carranza Alphonſus, *Hiſpanus.*
à Caſtro Rodericus, *Luſitanus.*
Claſenius Daniel, Pr. *Helmſtadienſis.*
Codronchius Baptiſta, *Imolenſis.*
Combachius Johannes.
Corbeus ſive *Corbejus* Hermannus.

Coſtaeus Johannes, *Gallus*.
Curtius Matthaeus, *Ticinenſis*.

D.

Drelincurtius Carolus, Caroli Filius, *Gallus*.

F.

Fabrotus Carolus Annibal, *Aquiſextienſis*.
Feltmannus Gerhardus, JCtus *Groeninganus*.
Fidelis Fortunatus, *Florentinus*.
Fienus Thomas, *Antwerpienſis*.
Fiſcherus Johannes Andreas.

G.

Galenus, *Pergamenus*.
Gardinius Ludovicus.
Garmannus Johannes Fridericus, Phyſ. *Chemnitienſis*.
Gentilis Albericus.
Gianninius Thomas, *Ferrarienſis*.

H.

Harderus Johannes Jacobus, Prof. *Baſileenſis*.
Hippocrates, *Cous*.
Hoepffnerus Henricus.
Hoffmannus Fridericus, *Hallenſis*.
Hoffmannus Johannes Mauritius, *Altdorffinus*.
Horſtius Gregorius, Senior, *Torgenſis*.

K.

Kresſius Johannes Paulus, Prof. *Helmſtadienſis*.

L.

Lalamantius Johannes, *Heduus*.
Langelottus Jöel.
Ledelius Samuel.
Lentilius Roſinus, Phyſ. *Crailsheimenſis*.
Libavius Andreas, *Hallenſis*.
Licetus Fortunius.
Lonaeus Johannes, *Boſcius*.

M. Me-

M.

Mena Ferdinandus.
Montanus Maturinus, *Petragoricus.*
Mundinius Mundinus, *Vicentinus.*

P.

Parcus Ambroſius, *Pariſienſis.*
Pinaeus Severinus, *Camutenſis.*
Polanus a Polansdorff Amandus.

R.

Reineſius Thomas, *Saxo-Gothanus.*

S.

Schmidius Johannes, Phyſ. *Gedanenſis.*
Schubartus Godofredus, Pract. *Bregenſis.*
Sebizius Melchior, *Argentoratenſis.*
Segerus Georgius, Phyſ. *Gedanenſis.*
Sennertus Daniel, *Uratislavienſis.*
Suevus Bernhardus, *Rotenburgo Tuberanus.*
Sylvaticus Johañes Baptiſta.

T.

Tigeon Thomas, *Andegavenſis.*
Tozzus Lucas, *Italus.*

U. V.

Valentini Michaël Bernhardus, Prof. *Haſſo-Gieſſenus.*
Valleriola ſeu *Variola* Franciſcus.
Vogelius Martinus.

W.

Waldſchmidius Johannes Jacobus, *Wetteravius.*
Welſchius Godofredus, *Lipſienſis.*
Werdenbergius Johannes Fridericus.
Wierus Johannes, *Gravienſis.*

Z.

Zacchias Paulus, Romanus.
Zeiſoldus Johannes.
Zittmannus Johannes Fridericus.
Zollikofferus Hector, *Sancti-Gallenſis.*
Zwingerus Theodorus, *Baſileenſis.*

(o)